# ILLUSTRIS MOLDANI

DEDICATI ANTE HOS CCXCV ANNOS

# MEMORIAM ANNIVERSARIAM

D. XV. SEPTEMBRIS

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

**Dr. EDUARDUS WUNDERUS**

RECTOR ET PROFESSOR PRIMUS.

---

Insunt

*Henrici Rud. Dietschii*, colleg. VII., Observationes criticae in C. Salustii Crispi Jugurthae partem extremam.

---

TYPIS OFFICINAE GRIMENSIS.

1845.

Observationes criticae

# in C. Salustii Crispi Iugurthae

partem extremam.

---

C. 88, 4: ***Quae postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit, statuit urbis, quae viris aut loco pro hostibus et adversum se opportunissumae erant, singulas circumvenire; ita Iugurtham aut praesidiis nudatum, si ea pateretur, aut proelio certaturum.*** Multum de ultimis huius loci verbis a vv. dd. dubitatum est. Ac Cortius quidem, quem multi secuti sunt, ad ***nudatum*** audiendum censuit ***fore.*** Cui sententiae et ratio obstat et consuetudo Salustii. Nam J. 76, 1: ***rex nihil iam infectum Metello credens,*** ex iis, quae ad eum l. de vi vocabuli ***infectus*** monui, apparet, ***credens*** cum duplici accusativo iunctum, et, si quid supplendum, ***esse*** audiendum esse; C. 27, 1 vero et 46, 1 ***fore*** contra libros ipse Cortius, suspicionibus suis nimiis indulgens, eiecit. Nec plus valere ad defendendam illam sententiam locos, quos rectius commemoratum iri monuit Fabrius, C. 37, 6: ***sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat,*** 58, 16: ***in fuga salutem sperare,*** J. 93, 6: ***pollicetur sese itineris periculique ducem,*** apertissimum est. Quod quamquam rectissime intellexit Fabrius, tamen h. l. facilius ad ***nudatum*** audiri posse ***fore*** censuit, quod sequeretur infinitivus futuri ***certaturum.*** Contra quam sententiam cum Kritzius monuit, dici non potuisse ***nudatum fore,*** sed ***nudatum iri,*** neglexisse videtur tales locos, ut J. 26, 1: ***confisi propter magnitudinem populi Romani inviolatos sese fore,*** coll. 33, 8: ***fidem publicam per sese inviolatam fore,*** et 28, 4: ***quorum auctoritate, quae deliquisset, munita fore sperabat.*** In quibus si quis dicat, — et recte dicet — adiectivorum instar participia esse, quid impedit, quo minus de ***nudatus*** idem statuatur, cum participiis perfectorum non res factas solum, sed etiam, quae consecuta sint, exprimi constet? Ipse Kritzius duas rationes expediendae difficultatis iniri posse monuit. Quarum altera, secundum quam ***iri*** per incuriam librariorum excidisse statuitur, cum, quod sciam, ne minimum quidem in libris corruptelae vestigium inveniatur, haud admodum probabilis est, altera, qua S. existumatur anacoluthiam admisisse — in mente habuisse ***certantem*** atque ad id participium voluisse verbum referre, quod ad ***nudatum*** aeque accommodatum esset (aut praesidiis nudatum, aut proelio certantem, magnum detrimentum facturum esse), sed eius consilii oblitum, quod participio dicere voluisset, primarium enuntiatum fecisse, — habet aliquam veri speciem, cum verba: ***aut proelio certaturum*** vix aliter dicta esse possint, nisi ut iis Marii fiducia, si Iugurtha proelium faceret, victorem sese fore, declaretur. Neque ego eam rationem comprobare dubitarem, si S. talem notionem, a qua utrumque penderet, necessario ponendam fuisse demonstrari posset. Sed cum Marii

consilium hoc fuerit, ut aliquid conficeret, quod ad patrandum bellum pertineret, certe satis fuit, haec duo commemorari, quorum alterutrum ex eo modo, quem instituit belli gerendi, necessario eventurum providebat. Quare mihi quidem insolentia dictionis, quam h. l. admisit S., eiusdem generis videtur, atque in iis, quae ad 75, 4 commemoravi (C. 47, 2: ***Cinnam atque Sullam antea, se tertium esse, cui fatum foret, urbis potiri***, J. 81, 1: ***tum sese, paulo ante Carthaginiensis, item Persen regem, post uti quisque opulentissumus videatur, ita Romanis hostem fore;*** vid. etiam ad 111, 2). Quemadmodum in illis ex sequente infinitivo futuri vel praesentis ad priora audiendus est infinitivus eiusdem quidem verbi, sed temporis alius, igitur ut breviter dicam, temporis ratio, qua praedicatum ad subiecta priora referendum sit, definienda relinquitur lectori, sic h. l. in priore membro a scriptore tantummodo res notatur, temporis definitio lectoris acumini permittitur.

Eiusd. cap. §. 6 haec leguntur: ***Id simulaveritne, quo improvisus gravior accederet, an mobilitate ingeni pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est. Accideret***, quae scriptura inventa est in Naz. Fabr. 1. Franc. Berol. 1 — de p. incertum; Gerlachius enim in ed. min. interrogationis signum appinxit —, magnam prae se fert veri speciem. Nam quod Fabrius obiecit, id verbum de hominibus non dictum esse, reiecit Kritzius, docens, quod de telis diceretur (Caes. B. G. III, 14, 3 ibiq. Held.), recte ad homines transferri. Quod eo facilius fieri potuit, cum ne quis de precante ac supplicante cogitaret (quo modo interdum ***accido*** dictum est; vid. ann. m. ad J. 14, 17 p. 131), cautum esset apposito ***gravior***, et defenditur loco 107, 6: ***ac statim profecti, quia de improviso acciderant, dubio atque haesitante Iugurtha, incolumes transeunt***, ubi ***acciderant*** plerique atque optimi libri muniunt, quamquam multi eorum ***acciderat*** exhibent. Sed cum constet, ***accidere*** et ***accedere*** saepius a librariis confusa esse (vid. Madv. ad Cic. d. Fin. I, 12, 41 p. 86), h. l. autem pauci tantum libri ***accideret*** tueantur, plerorumque librorum scripturam intactam relinquendam censeo, eoque magis, quod consulto S. verbo ***accedere*** usus videtur. Cum enim Bocchus non solus Marium aggredi vellet, sed coniunctis suis cum Iugurthae copiis, ***accederet*** eam significationem habet: quo improvisus gravior sese Iugurthae adiungeret. In sequentibus post ***solitus*** nonnulli codices adiiciunt ***esset***, quod ab imperitis librariis interpolatum esse demonstravit Fabrius, docens, post formulas ***compertum est, exploratum est, cognovi***, simil., quoniam in iis inesset non praeteriti, sed praesentis temporis significatio, non posse coni. imperf., sed debere perf. poni, coll. 67, 3 et 79, 5. Sed quam idem Fabrius proposuit sententiam, ex praegresso ***simulaverit*** ad ***solitus*** audiendum esse ***fecerit***, eam recte reiecit Kritzius. Obstat enim ei et ratio — scilicet ubi participium ad praecedens membrum adiungitur, necesse est, ab eius praedicato pendeat, igitur hoc loco supplendum esset ***simulaverit***, quod absurdum est, — et consuetudo loquendi; certe Ramsh. §. 205 b. p. 983 sqq., quem Fabrius adiri iussit, nullum omnino exemplum attulit, quo talem ellipsin umquam admissam esse comprobaretur. Quare simplicissimum videtur, ***sit*** omissum statuere. Quamquam enim verbi ***esse*** plerumque quidem indicativus omittitur, tamen in interrogatione indirecta facilius auditur coniunctivus, quod ex tempore verbi, unde pendet, cuius temporis coniunctivus supplendus sit, apparet. Quod quamquam rarius fit, tamen neque a Romanorum (vid., quem Kritzius laudavit, Beier. ad Cic. de Off. I, 17, 58), neque a S. more alienum est. Necessario certe idem statuendum esse de loco 113, 1: ***Haec Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit; ceterum dolo, an vere cunctatus parum comperimus***, in ann. ad eum locum demonstrabitur.

C. 92, 2: ***Postquam tantam rem Marius sine ullo suorum incommodo patravit, magnus atque clarus antea, maior et clarior haberi coepit. Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur,*** rel. — Ita hic locus in plerisque et optimis libris scriptus est; sed pauci Glareani, Leid. A (omisso tamen ***modo***), C. Guelf. 3. 11 (is tamen ***rerum*** pro ***verum***) exhibent: ***omnia non bene consulta modo, verum etiam casu data, in virtutem trahebantur,*** Erl.: ***omnia non consulta bene modo, verum etiam casu data,*** Bodlei. et Balliol.: ***omnia non bene consulta modo, neque etiam casu data.*** Huius plenioris scripturae patrocinium unus Kritzius suscepit. Ac recte quidem illud monuit, ad eam reiiciendam non satis firmum argumentum esse, quod tantummodo in libris deterioribus inveniretur, cum libri, ceteroquin negligentissime scripti, tamen ex archetypo integriore minusque lacunoso descripti esse possent, praeterea haud raro etiam in optimis S. libris non solum unum, sed etiam plura vocabula excidisse constaret*). Quare de internis caussis potissimum quaerendum est. Dixit autem Kritzius, ut ea verba Salustii esse crederet, sese moveri hisce: primum verba ***non bene consulta,*** tam nude vocabulo ***omnia*** comprehensa, aperte hoc declarare, Marium multa aut plurima temere egisse, quod laudibus a scriptore viro illi tributis minime conveniret, tum temere suscepta stulteque gesta neminem facile probaturum esse, hoc autem vulgi esse, si cui duci faveret, ut non solum ea approbaret, quae eius prudentiae deberentur, sed etiam ea ipsi tribueret, quae fortunae beneficio contigissent; id vero optime exprimi per scripturam a se receptam; neque opponi posse, non recte dici, ***bene consulta in virtutem trahebantur,*** cum in aperto esset, zeugma a S. admissum esse propterea, quod si notionem utrique convenientem scripsisset, velut ***gloriam augebant,*** neque sententia admodum concinna esset, et aliquantum diffueret. Iam facile quidem viro doctissimo largior, non posse obiici, quod 94, 7 scriptum est: ***sic forte correcta Mari temeritas, gloriam ex culpa invenit,*** cum id ad rem singularem, castelli oppugnationem, spectet. Sed iis, quae protulit, argumentis mihi non persuasum esse, libere profiteor. Primum enim in verbis ***omnia non bene consulta*** non tanta Marii vituperatio ac reprehensio inest, quanta illi videtur inesse. Significatur iis quidem, non semel aliquid a Mario non bene consultum esse, sed minime illud, plurima, nedum pleraque eum temere suscepisse. Quis vero umquam imperator tam divina mente praeditus fuit, ut in bello vario nihil umquam minus providenter ac caute susceperit? Neque ita caecus Marii admirator S. fuit, ut quae ille peccasset, aut non videret, aut in virtutem traheret. Quamquam enim de eius moribus et ingenio non longa fusaque disputatione exposuit, tamen omnia, quae de eo scripsit, luculenter demonstrant, talem illum ei visum esse, qui superstitiosa quadam confidentia ac virtutis suae opinione nihil sibi arduum censeret, qui nonnulla temere ausus, tamen in omnibus mirifice a Fortuna adiutus et servatus esset. Nec negligendum est, scriptum esse non ***temere consulta,*** sed ***non bene consulta,*** in quo hoc inest: quaecumque minus recte consuluerat, non temeritatis, uti meruerat, insimulabatur, sed ea quoque eius virtuti i. e. forti atque intimido animo tribuebantur (vide, quae de locutione ***in virtutem trahere*** a me monita sunt ad J. 82, 3 et cfr. Liv. IX, 28, 6: ***Qui captae decus Nolae ad consulem trahebant***). Quod nonne est vulgi, stulte ducem suum admirantis? Nonne etiam gravius, quanto favore milites illum habuerint, significatur, cum quae vituperanda erant, laudasse, quam cum

*) Ut unum exemplum proferam, infra §. 3 *deserta*, quo vocabulo, quia respondet *repugnantibus Numidis*, nullo modo carere possumus, in plerisque libris omissum, nec in plus quam decem servatum est.

etiam ea, quae fortunae debebantur, tamen ipsi tribuisse dicuntur? Quibus de caussis tantum abest, ut scripturam, in qua plerique et optimi libri consentiunt, reiiciendam arbitrer, ut alteri, quam interpolatam esse etiam discrepantia, quae in libris est, ostendere videtur, praeponendam iudicem. Nec tamen nego, verba illa, quae Salustii esse Kritzius contendit, tam elegantia, tam antiqua, tam recte cogitata esse, itaque Salustianae orationis colorem prae se ferre, ut aperte ab homine ingenioso conscripta sint. Is vero ad interpolandum fortasse motus est eo, quod talem sibi Marii imaginem informaverat, quae omni macula careret; quam ob caussam vituperatio, quam S. in illum coniecerat, tollendum censuit. Quanta arte autem interdum ingeniosi homines veterum scripta interpolaverint, satis constat (vid. Bernhardy Grundl. z. Enc. d. Phil. p. 153).

Eiusd. c. §. 7: *nam castello virorum atque armorum satis magna vis et frumenti et fons aquae.* Sic haec verba plerique libri exhibent. In qua scriptura illud offendere non potest, quod verba *satis magna vis*, a quibus et *virorum atque armorum*, et *frumenti* pendet, inter haec interposita sunt, cum Salustio satis idonea caussa, cur ab consuetudine loquendi discederet, fuerit haec, quod sic defendendi instrumenta disiunguntur ac separantur ab vitae sustentandae copiis (vid. etiam ad J. 70, 5). Neque illud offensioni est, quod *vis* ea significatione, quae h. l. requiritur (= multitudo), plerumque de rebus inanimis dicitur (J. 53, 1: *pulveris magnam vim;* 75, 7: *vis aquae;* 61, 1: *maxuma vis utrium;* 97, 5 vero *hostium vim sustentabant* aperte de impetu dictum est, et potest certe sic intelligi 38, 5: *magna vis hostium* = „der gewaltige Andrang der Feinde"), cum neque per se de hominibus, si quidem instrumenta cogitantur, dici absurdum sit, neque quoniam adiunctum *atque armorum*, mirum, si quod alteri minus conveniat, ad utrumque referatur. Quare id solum in his verbis inconcinnum est, quod adiecta verba *et fons aquae* imperitum hominem in eum errorem inducere possunt, ut cum his *et frumenti* coniungendum censeat. Quod an tanti est, ut propterea codicum tantum non omnium scriptura ferri nequeat? Sed cum unus cod. Guelf. 3 *et* ante *frumenti* omittat, Cortius eumque secuti Kritzius atque Orellius scripserunt: *virorum atque armorum satis, magna vis frumenti et fons aquae**); quo modo elegantiorem fieri orationem, quis est, qui non sentiat? In copula tertio membro adiuncta non offendendum esse, satis apparet ex iis, quae ad J. 14, 11 p. 120 disputavi. Sed unde illud *et* in tam multis tamque bonis libris natum? Quae cum ita sint, equidem aliis inter utramque scripturam diiudicandi potestatem facio, mihi religioni duco, unius codicis fide omnium reliquorum scripturam, etiamsi minus elegans sit, commutare. Ceterum aegrius caremus verbo *erat*, cum non simplex copula sit, sed cum dativo iunctum graviorem vim habeat. At vid., quae ad J. 10, 2 p. 81 sq. exposui.

C. 93, 3: *Ubi postquam solitudinem intellexit, more humani ingeni cupido difficilia faciundi animum vortit.* Magnae h. l. in libris discrepantiae sunt. Facile ad diiudicandum est, utrum *humani ingeni*, quod libros exhibere affirmat Orellius, praestet, an *ingeni humani*, quod alii retinuerunt, cum in aperto sit, notionem *humani*, quippe in quo maxima vis, efferendam fuisse. Nec difficilius est ad intelligendum, *cupido*, pro quo sex codd. *cupidus*, totidem fere *cupidi* exhibent, verum, illasque scripturas ab verba non recte intelligentibus librariis novatas esse. Maior difficultas est, quod pro *animum vortit*, quod bp cum triginta fere libris

---

*) In eadem sententia videtur fuisse Gerlachius, qui *et* uncis circumclusit, commate post *satis* posito.

tuentur, alii *animum advertit*, alii *animadvertit*, alli *a. accendit*, alii *a. intendit* vel *attendit*, alii denique *a. invadit* vel *invasit* praebent. Atque auget dubitationem, quod Gellius N. A. IX, 12 Salustium testatur quodam loco scripsisse: *more humanae cupidinis ignara visendi*, ac Non. II, 465 p. 129 Merc.: *Salustius*, inquit, *in bello Iugurthino: amore humanae cupiditatis ignara visendi*, unde multis satis certum visum est, S. scripsisse h. l. *ignara visundi*. Iam profecto nihil ab re ipsa obstat, quo minus ita scribi potuisse concedamus. Certe, quod ignara (passiva vi id dictum est, vid. ann. meam ad J. 18, 6 p. 164) visere cuperet, Ligurem movere potuit, ut quod supererat montis, escenderet, atque ea cupido etiam magis in humana natura sita videtur, quam difficilia faciendi. Nihilo minus veri similius videtur, hominem illum gloriae cupidine potius, quam spectandi studio ad ausum illud perpulsum esse. Quid enim referebat eius scire, quae in castello essent, nisi inde aliquem fructum percepturus esset? At scire, quae omnes nescirent, atque fecisse, quod nemo alius perpetrare posse videretur, id summo studio ac labore dignum. Cum igitur verba, quae Gellius et Nonius afferunt, inter se discrepent et cum h. l. nihil, nisi similitudinis quamdam speciem, commune habeant, maximopere credibile est, a Gellio alium, quam h. l. respectum, atque ab Nonio etiam in titulo libri erratum esse, quod cum sibi persuasisset Gerlachius ea verba in Fragmentis p. 224, 7 posuit. Possit sane quispiam in eam opinionem adduci, ut iam antiquitus duplicem huius libri recensionem exstitisse credat, sed cum eius rei nulla sint certiora vestigia, immo omnes libros quasi ex uno eodemque fonte fluxisse, facili negotio demonstrari possit, nihil prorsus tali suspicioni tribuendum. Ut iam de ultimis verbis dicam, neminem, credo, hoc fugiet, scripturas illas, quas supra commemoravi, non ex manuum aut oculorum erroribus natas, sed, quae difficili cuidam verbo explicandi caussa ascripta essent, eius locum occupasse. Inter eas maximo librorum numero ac fide munita est: *animum vortit*. Quibus verbis, quae est propria eorum vis, nihil aliud significari potest, nisi: animum ad aliud direxit, quam ad quod antea intentus atque propensus fuit („seinen Willen, seinen Entschluss wenden“). Quod, cum antea Ligus revertendi nec ad summum montis escendendi consilium habuerit, h. l. satis aptum, simul tale est, quod explicatione egere, igitur illorum glossematum ansam praebuisse videatur. Quare non dubito id probare; sed *animum advortit*, quod Fabrius comprobavit, quamquam neque recte explicavit, neque satis aptis exemplis usus est, minime falsum iudico. Cum enim *animum advortere* dictum esse de animo ad certam aliquam rem directo („die Aufmerksamkeit für eine Thätigkeit in Anspruch nehmen“), demonstraverit Freund. Lex. s. v. *adverto*, 5 (T. I p. 107 b), coll. ex. Sen. Ep. 94: *Non docet admonitio, sed advertit, sed memoriam continet*, et Tac. Hist. III, 48: *Advertit ea res Vespasiani animum, ut vexillarios e legionibus deligeret*, recte h. l. id scribi potuit, hac sententia: cupido difficilia faciundi animum eius advertit, ut ad summum montis escenderet.

Eiusd. c. § 4: *cuius ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus castelli planitiem perscribit, quod cuncti Numidae intenti proeliantibus aderant.* Longe plurimi libri *perscribit* exhibent, quod verbum confirmant etiam ii, in quibus est *perscripsit* vel *perscribere*. Quod cum neque de picta in tabella imagine castelli dictum esse possit — talis enim Ligus erat, ut eum litteras nescivisse suspicemur potius, et ut artem delineandi calluerit, aquatum egressum, tabellam et stylum secum portasse credibile non est, — neque de menti impressa castelli figura ac natura — iis enim locis, ubi *perscribere* sic dictum est, Ter. Andr. I, 5, 48 et Sen. Controv.

Praef. I, additum est *in animo*, multoque minus comparari possunt Graeca *γράφου φρενῶν ἔσω* (Soph. Phil. 1325) et *ἐγγράφου — δέλτοις φρενῶν* (Aesch. Prom. 788) — nullo modo tolerandum esse, inter recentiores Salustianorum librorum editores omnes convenit. Sed de restituenda vera scriptura in diversa abierunt. Ac Kritzius quidem *in castelli planitiem pervenit*, quod in b. p. Par. b. c. x. Erl. Guelf. 3, nonnullis Ciacconii libris, postremo Fabr. 1. a. m. sec. inventum est, verum iudicavit, his argumentis usus: primum Salustii consilium esse, ut accurate doceret, quo modo Ligus ad ipsum castellum pervenisset; quare verbis *Cuius — nisus* nihil aliud significari, quam earum rerum ope Ligurem extremas difficultates superasse et ita adiutum ac sublevatum tandem ipsum castellum attigisse, eique rei non minimum profuisse, quod cuncti Numidae proeliantibus adessent; igitur verbo cognoscendi vel perlustrandi locum non esse; praeterea neminem offendere debere, quod non pateret, quo modo tam planum verbum in *perscribere* depravari potuisset, cum ea scriptura non ex depravatione, sed ex glossa nata esset; scribas scilicet, Liguri periti speculatoris partes tribuentes, verba illa nimis ieiuna putasse; demonstrari id per Par. b., ubi verbis *in castelli planitiem pervenit* superscriptum esset: *vel perscripsit vel investigavit.* At, ut ab ultimis ordiar, nulla umqnam aetate *perscribere* ea significatione, quae h. l. requiritur, ita in usu et consuetudine vulgari fuit, ut librarios hoc verbum, quam alia omnis scribere maluisse credibile sit: deinde si quis scriba tam diligens in examinandis verbis fuisset, ut ei *in castelli planitiem pervenit* nimis ieiunum videretur, certe omni acumine caruisset, si ei, quod requireret, sequentibus verbis: *exploratis omnibus quae mox usui fore ducebat*, satisfactum esse non intellexisset. Ac *vel — vel*, quod in Par. b. scriptum est, minime demonstrat, pro glossa ea verba ascripta fuisse, sed scribam, sive eum qui scripta perlustravit, eo loco in archetypo plura verba invenisse, quorum quid verum esset, cum nesciret, certe varietatem notare religioni duxisse. Tum, cum solitudinem in ea parte castelli fuisse, antea iam dictum eoque luculentissime demonstratum esset, non verendum fuisse Liguri, si ad summum escenderet, ne ab hoste conspiceretur, certe non necessarium fuit, iterum hoc dici: *quod cuncti Numidae intenti proeliantibus aderant;* contra si scripsit S. tale verbum, quo hominem illum diutius in eo loco mansisse et huc illuc se contulisse significaretur, quivis admiraturus erat, a nemine audacissimum militem conspectum esse, itaque non supervacaneum, qua de caussa id factum esset, ostendere. Nec quae praecedunt, quo minus hic verbum cognoscendi a Salustio scriptnm esse putemus, obstant. Scilicet, quicunque eius scripta diligentius atque attentius perlegerit, compertum habebit, eum haud raro omisso eo, quod praecedere debebat, statim, quod consecutum esset, posuisse. Quidni igitur eum, cum scribere deberet: cuius — nisus in castelli planitiem pervenit eamque perlustravit, haec sic contraxisse statuamus: cuius — nisus, castelli planitiem perlustrat? Et tolletur omnis difficultas, si cum cod. t. scripserimus *enisus*, in quo hoc inest: postquam — nisus ad summum pervenit; cfr. Plin. H. N. XVIII, 28, 68: *Sol ipse ad Aquilonem scandens ac per ardua enisus, ab ea meta incipit flecti et digredi ad Austrum.* His igitur caussis, credo, permotus, Orellius scripturam a Kritzio commendatam falsam iudicavit et coniecit legendum esse: *in castelli planitiem perrepsit.* Quod mihi quidem plerorumque librorum scripturae *perscribit* nimis dissimile videtur. Ego, cum tale verbum restituendnm sit, quod et litterarum similitudine et insolentia sua facile in *perscribit* depravari potuerit, coniicio legendum esse: *castelli planitiem perscrutat*, cuius verbi activum ab Romanorum usu non alienum fuisse, ostendit locus Plaut.

Aulul. IV, 2, 49 (611 ed. Both.): *Postremo hunc iam perscrutavi, hic nihil habet.* Sed si cui id nimis insolens videatur, non impedio, quo minus *perscrutatur* scribendum censeat. Quod cum scriberetur per compendium *perscrutat'*, unco abiecto, non minus facile, quam illud, corruptelae obnoxium fuit.

C. 94, 2: *Igitur praegrediens Ligus saxa et si quae vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat.* Quamquam haud ignoro, caesa vel emortua arbore, radices ab stirpe solvi et ipsas exsiccatas minus firmiter humo contineri, tamen vix credo, vetustate eas eminere recte dici. Quare mihi placet, quod t. Guelf. 1. 3. Berger. Sen. 2. Heuss. Leid. c. Misn. exhibent: *vetustae.* Ac multis quidem locis Salustii vera scriptura tantummodo in deterioribus libris servata est.

Eiusd. cap. §. 3: *Marius, ubi ex nuntiis, quae Ligus egerat, cognovit, quamquam toto die intentos proelio Numidas habuerat, tum vero cohortatus milites et ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere. Testudo* vocabatur ea acies, in qua milites progrediebantur sublatis super capita scutis continuatisque ita inter se, ut non modo ad caecos ictos, sed ne ad inferendum quidem ex propinquo telum loci quidquam esset, ut ait Liv. XXXIV, 39, 6. Aliud simile genus idem descripsit XLIV, 9, 6. Sed de his generibus semper dictum est, *testudinem facere* (cfr. locos Livii modo commem. et Caes. B. G. II, 6, 2); *testudinem agere* Caes. B. G. V, 43, 3 dixit de testudine ex lignis facta, quam ipse descripsit B. C. II, 2, 2, de qua machina h. l. nullo modo cogitari posse, qui reliqua attente legerit, non dubitabit; sed Virgil. Aen. IX, 505: *Accelerant acta pariter testudine Volsci et fossas implere parant* de scutorum testudine cogitandum esse, ostendit vs. 512: *si qua possent tectam aciem perrumpere.* Ac recte quidem *testudinem agere* milites dicentur, ubi e scutis testudine effecta procedunt, eam machinam promoventes, neque Virgilii locus mihi corrigendus videtur, cum is poëta maiore licentia usus, rei militaris vero prorsus imperitus fuerit. At apud S., cum ex adiecto *succedere* non de promota, sed de effecta testudine dicendum esse, luce clarius sit, quamquam omnes libri *acta* tueri videntur, tamen quin *facta* corrigendum sit, non dubito.

C. 95, 4 de Sulla haec dicta sunt: *Atque illi, felicissumo omnium, ante civilem victoriam numquam super industriam fortuna fuit, multique dubitavere, fortior an felicior esset; nam postea quae fecerit, incertum habeo, pudeat magis an pigeat disserere.* Multum a viris doctis dubitatum est, verba *ante civilem victoriam* utrum cum *felicissumo omnium*, an cum sequentibus: *numquam super industriam fortuna fuit*, coniungenda essent. Ac plerique illud probarunt, ducti falsa opinione, quam de vocabuli *felix* significatione animis praeceperant. Cum enim arbitrarentur, felicem neminem esse posse, nisi honestum, persuasum habebant ob sequentia: *nam — disserere*, Sullam ab S. post civilem victoriam felicissimum omnium dici non potuisse. At *felix* omnino est, cui quae incepit, prospera eveniunt („dem Etwas nach Wunsch geht"; vid. Schmalfeld. Syn. nr. 318 p. 455). Quare *fortis ac strenuus* aliquis esse potest, cum tamen *felix* non sit, ut Marius J. 85, 45: *exercitus,* inquit, *mehercule magis strenuus, quam felix,* et qui fortem se gessit, tamen felicitati suae plurimum tribuere, quemadmodum de Sulla praedicat Valer. Max. 17, 9, 6: *virum dicerem fortem, nisi ipse felicem se appellari maluisset.* Quoniam autem *felix* ac *felicitas* semper de prospero eventu ac successu inceptorum dicuntur, apparet, nisi qui ipse agat, felicem dici non posse, ut recte contendatur a Dähnio ad Nep. Lys. 1, 1, *felicem* dici, qui ipse aliquid ad prosperitatem suam conferat. Et quoniam ad felicitatem necessaria est animi oblectatio, intelligitur, recte philosophos sic iudicasse, nemi-

nem felicem esse posse, nisi bona conscientia, ut Cic. ap. Ammian. Marc. XXI, 16: *Neque enim quidquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas; vel, ut alio modo definiam, felicitas est consiliorum fortuna adiutrix bonorum; quibus qui non utitur, felix esse nullo pacto potest.* Sed ab ea perfectae felicitatis notione, quam philosophi tenuerunt, diversus est usus vulgaris hominum. Secundum quem si h. l. *felicissumo omnium* dictum censemus, an Sulla post victoriam civilem eo nomine appellari nequit? qui se ipse Felicem et Faustum nominarit, et paucis ante mortem diebus praedicarit, sibi omnia ex sententia evenisse, neque quidquam optandum superesse, nisi ut sua opera restitutum Capitolium consecrare liceret (vid. Drumann. Gesch. Roms T. II. p. 497). Igitur S., cum Sullam *felicissumum omnium* dicit, ad omnem eius vitam spectat, sed cum ea maxima felicitate eius *industriam* comparat, quo vocabulo omnia eius studia ac contentiones significantur (vid. ann. m. ad J. 76, 1), ac sic indicat: ante civilem victoriam numquam ea, qua usus est, prosperitate indignum se gessit (proprie: numquam fortuna industriam eius superavit, vid. ad J. 64, 2), multique dubitavere, utrum per illud tempus, quae ei contigerunt, virtuti magis an fortunae tribuenda essent (imperf. *esset* de temporis continuo spatio dictum esse in aperto est), post illud tempus indignissimum se felicitate sua praebuit, talia scilicet faciens, quae pudeat magis an pigeat disserere incertum habeam.

C. 98, 4: *Ceterum apud aquam Sullam cum equitibus noctem agitare iubet, ipse paulatim dispersos milites, neque minus hostibus conturbatis, in unum contrahit. Neque* Kritzius, Fabrio auctore, pro *etiam non* („auch nicht") dictum censuit, de qua re fusius disputandum est, cum etiam nunc, apud quosnam scriptores is usus concedendus sit, in incerto habeatur. Igitur ut ab ratione ordiamur, si *et* pro *etiam* ita dicitur, ut alterum *et* atque tale quidem membrum, quod ad omnem rerum, quae quoque loco spectari possunt, multitudinem pertineat, supplendum sit (vid. ann. m. ad S. Cat. 35, 3 p. 133 sq.), nihil profecto impedit, quo minus in *neque* idem fieri posse statuamus. Qua de re eo minus dubitandum, cum quamvis raro, tamen ab bonis scriptoribus *neque* ita dictum sit, ut ad praecedens membrum ex eo negatio audiatur, ut ap. Caes. B. C. III, 71, 3: *sed in litteris, quas scribere solitus est, neque in fascibus insignia laureae praetulit*, Liv. V, 12, 5: *M. Furio in Faliscis et Cn. Cornelio in Capenate agro hostes nulli extra moenia inventi, praedae actae, incendiisque villarum ac frugum vastati fines, oppida oppugnata, nec obsessa sunt. At in Volscis, depopulato agro, Anxur nequicquam oppugnatum*, Vellei. II, 45: *Quique dicendi nec faciendi ullum nosset modum.* Sed quamquam a ratione ei usui nihil obstat, tamen, quoniam in eo utique quaedam licentia est atque audacia, diligenter perscrutandum est, quinam scriptores eum sibi permiserint. Iam Madvigius Exc. III ad Cic. d. Fin. II, 8. 25 p. 816 sq. apud posteriores scriptores satis multa exempla inveniri concessit, apud Ciceronem eiusque aequales ullum exstare negavit. Contra quam viri doctissimi sententiam disputavit Jo. Siebelis Quaest. Lucret. Lips. 1844, p. 5 sq. ac vindicavit eum usum Lucretio atque Virgilio, praeterea Livio, apud quem unum exstare exemplum XXXI, 22, idque propterea corrigendum esse contenderat Madvigius, coll. I, 25; III, 52; XL, 20 extr. Apud Ciceronem vero plerosque locos Madvigius recte aut emendavit, aut recta explicatione proposita removit, in quo illud non negligendum est, ab librariis haud raro *quidem* eiectum et pro *ne quidem* ex suae aetatis consuetudine *neque* scriptum esse, ut factum est in cod. Einsied. Cic. Or. 17, 54. Sed sunt tamen ap. Cic. loci, in quibus *neque* et libris et sen-

tentia satis munitum videtur. Consulto, credo, omisit Madvigius locum de Legg. II, 9, 22, quoniam verba non Ciceronis, sed antiquae legis sunt, quamquam is ipse ostendit, eum usum ex antiquitate quoque tempore Romanis in memoriam revocatum esse ideoque nemini verendum fuisse, ne insolenter *neque* sic dicere videretur. At minus felici successu disputavit V. S. de loco Acad. II, 44, 135: *Sapiensne non timeat? nec si patria deleatur? non doleat? nec si deleta sit*, contendens dicendum fuisse, quid timere sapienti non liceret, — si quid fieret, doleri, non timeri — ideoque sic verba emendanda esse: *Sapiensne non timeat, ne patria deleatur? non doleat, si deleta sit?* Quamquam enim ad eam sententiam refutandam haud satis idoneo exemplo utitur Siebelis l. c.,*) tamen apertum est, a Cicerone quaeri non potuisse, quid ne fieret, sapienti timere non liceret, — nullo enim periculo instante, nemo timet, — sed an ne tum quidem, si patria in maximo discrimine esset, timere non liceret. Cum igitur casus quidam ponendus sit, an Cicero alio tempore uti potuit, quam coniunctivo praesentis? Ac facile quidem concedo, eum diligentius loqui potuisse, sed certe minore vi dixisset. Quid vero ad omnem sententiam aptius, quam cum contra eos disputatur, qui in sapientem timorem et dolorem cadere negarunt, primum in universum quaeri, tum singularem casum commemorari! Cum igitur neque in sententia neque in libris quidquam insit, quod suspicionem moveat, quid dubitamus, a Cicerone id loquendi genus hoc loco admissum concedere, quod ab Latini sermonis ingenio non alienum fuisse et posteriorum et antiquiorum scriptorum consuetudo testatur? Atque ut alias semper evitaverit, nonne talia interdum invitis excidunt? Sed si h. l. nullam caussam esse conceditur, cur *nec* mutetur, retinendum certe est Topic. 4, 23, ubi ipse Madvigius concessit, nihil offensioni esse, nisi quod is locus unum esset *nec* eo modo dicti exemplum. Ac sic fortasse etiam aliis locis Ciceronis, librorum scripturis diligenter examinatis, *nec* verum iudicabitur. Ut iam de Salustio dicam, nullum omnino apud eum certum exemplum illius moris exstat. Nam J. 44, 5 certe nonnulli libri exhibent: *Sed neque muniebantur ea, neque more militiae vigiliae deducebantur*, eaque scriptura tantam habet commendationem, ut quin librarii a primo *neque* ad alterum oculis aberraverint, vix dubitari posse videatur (vid. quae ad eum locum commentatus sum p. 322); is ipse locus vero, qui me ad haec disputanda invitavit, ab illo more loquendi diversissimus est, cum ante *neque* non alterum audiendum esse, sed idem, quod affirmative de Romanis dictum est, de hostibus negative dici appareat. Quare verissime Madvigius l. c. p. 817 docuit, liberius Salustium ablativos absolutos cum participio *dispersos* coniunxisse, hac sententia: milites, cum ipsi dispersi essent, neque minus hostes conturbati, in unum contrahit, coll. Liv. XXV, 35: *Inter exercitus ducesque gratulatio ingens facta, imperatore tanto cum omni exercitu deleto et alteram pro haud dubia parem victoriam exspectantes.* Quamquam minore licentia usus est Livius, quippe cum ablat. abs. et part. pariter caussam contineant, ad eandem rem spectantem. Ceterum ne quid omittam, moneo, *neque* pro *non* antiquo more dicti (vid. Gerlach. Comm. p. 282.) nullum omnino exstare in S. scriptis exemplum. Sed postquam haec absolvi, occasione oblata, de particulis *nec — quidem* disseram, quum

*) Scilicet, cum haec scriberet: „Hac enim ratione Graecis eo tempore, quo Xerxes patriam vastavit, non amplius timere, sed dolere tantum licuisset," notiones confudit. Athenis dirutis Athenienses urbis vastationem non amplius timebant, sed ne numquam patriam recuperaturi essent. Si quas aedes ignis cepit, oppidani non incendii eruptionem, sed propagationem timent, atque exercitu fuso, non praeterita, sed futura nova clades metuitur. Nemo timet, nisi quod futurum providet, aut praesens quorsum evasurum sit, nescit.

quaestionem ab illa altera separari non posse Madvigius monuit. Ac nolo quidem repetere ea, quae de hac re a grammaticis, quos multos nominaverunt Madvig. l. c. p. 822 et Iahn. ad Virg. Georg. I, 126 p. 390 extr., disputata sunt, tantum de Madvigii sententia exponam. Qui vir doctus negavit, umquam ***nec quidem*** dictum esse, nisi ***nec*** ad copulandum cum priore alterum membrum pertineret, cum ***quidem*** nihil prorsus haberet, ut ap. Quinct. IX, 3, 55: ***Non enim dixi quidem, sed non scripsi, nec scripsi quidem, sed non obii legationem, nec obii quidem, sed non persuasi Thebanis,*** quibus verbis interpretatus est Q. Demosthenis locum d. cor. p. 288 Reisk.: *συνεπαινεσάντων δὲ πάντων καὶ οὐδενὸς εἰπόντος ἐναντίον οὐδὲν, οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ. οὐδ᾽ ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δέ· οὐδ᾽ ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους,* ubi apertissimum est, utrumque ***nec*** spectare ad totas has complexiones verborum: ***scripsi quidem, sed non obii legationem*** et ***obii quidem, sed non persuasi Thebanis.*** Contendit autem id rarissime fieri in orationis recta forma; quoniam enim cum concederetur aliquid negative (***non excitas tu quidem, sed tamen excusas***), si praeponeretur copulativa particula, ea non ad concessionem, sed ad sequentem affirmativam sententiam pertineret, ***non*** cum copulativa particula in unum contrahi non posse, igitur dici non posse: ***Haec vides, nec excusas tu quidem, sed tamen excusas***, sed: ***et non excusas tu quidem, sed —***. At ei praecepto ipse repugnare concessit locum Cic. ad Fam. VI, 6, 2: ***His autem litteris animum tuum, quem minime imbecillum esse et audio et spero, confirmandum etiam atque etiam puto, nec iis quidem verbis, quibus te consoler ut afflictum et iam omni spe salutis orbatum, sed ut eum, de cuius incolumitate non plus dubitem, quam te memini dubitare de mea,*** ubi Ciceronem censet, cum scribere deberet: ***animum tuum confirmandum puto et iis quidem verbis, quibus te consoler non ut afflictum, sed ut eum*** cet., negationem liberius ac minus diligenter translatisse. Sed, ut scripsit Cicero, sic potius explicanda est sententia: animum tuum confirmandum puto nec id faciendum puto iis quidem verbis, quibus te consoler ut afflictum, sed iis verbis id faciendum puto, quibus te consoler ut eum —. Atque si verum esset illud praeceptum, ne sic quidem dici liceret: ***Haec vides, nec excitas, sed excusas.*** Quo non magis falsum est: ***Haec vides, nec excitas tu quidem, sed excusas.*** Quoniam enim per ***nec*** membrum cum alio negative copulatur, quod deinde adversative adiicitur, non ultimo soli, sed priori et alteri coniunctim opponitur. Quare plene sic dicendum esset: Haec vides nec excitas tu quidem, sed haec vides et excusas tamen. Sed his locis atque si eorum similes reperti fuerint, Madvigius concessit, recte dictum esse ***nec — quidem;*** negavit vero id idem esse, atque ***et ne — quidem; ne — quidem*** enim ita in unam significationis singularis compagem coaluisse, cum ***ne*** per se in negando non poneretur, ut ***ne*** nullo modo, quemadmodum ***non***, copulativam particulam in se recipere posset; quare Romanos dixisse ***ac ne — quidem*** (Cic. pr. Sull. 21, 62: ***Ac ne haec quidem P. Sullae mihi videtur silentio praetereunda esse virtus***, multisque aliis locis; dicitur etiam ***et ne — quidem***, ut ap. Liv. V, 49: ***castra capiuntur et ne nuntius quidem relictus***; vid. Krüger. Gr. L. §. 508 An. 4 p. 675), in continua autem enumeratione et gradatione per ***ne — quidem*** *ἀσυνδέτως* adiici, quod prioribus gravius poneretur (Tac. Ann. III, 14: ***nam neque ambitionem militarem, neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversus imperatorem infitiari poterat***, ut unum de multis exemplum proferam). De qua sententia ut recte iudicare possimus, ordiendum videtur ab ipsius particulae ***quidem*** natura. In qua proprie affirmativam vim inesse, ideoque aptissime comparari cum nostro „zwar," quod proprie est „ze ware" i. e. „in Wahrheit," nunc inter omnes homines doctos convenit (Cfr.

Schmidt de pron. Gr. et Lat. p. 99; Krüg. l. c. §. 508 p. 673). Quare cum gravi asseveratione ita aliquam notionem extollit, ut eam primariam ac maximi momenti esse appareat, ac saepe ab nobis exprimi non possit, nisi graviore numero in eo vocabulo, quod effertur, posito. Quoniam autem id, quod sic effertur, alii oppositum aut est aut cogitatur, duplicem vim nanciscitur, definitivam, cum de uno contenditur, quod de reliquis non affirmatur („wenigstens"), et concessivam, cum aliquid cum gravitate affirmatur, sed aliud, quod cum eo non convenire videatur, item contenditur (*quidem* — *sed* = „zwar — dennoch"). Jam ubi ad copulativas particulas refertur, apparet, earum vim intendi. Sic constat *et* — *quidem* dici in eius, quod ex adverso positum est, et concessione, et elevatione, ibique ipse Madvigius (Em. Tull. p. 90 sqq. et ad Cic. d. Fin. I, 10, 35 p. 77) verissime monuit, *et* annectere observationem, *quidem* ad eius potestatem attendi iubere. Quanam igitur probabili ratione negabitur, eodem modo *quidem* cum *nec* coniungi posse, quo cum *et*, ut ad vim separandi ac disiungendi, quae in *nec* inest, attendi iubeat? Quamobrem quamquam *nec* — *quidem* per se non idem est, atque *et ne* — *quidem*, tamen apparet, per eas particulas ita separari membrum a praecedentibus, ut id maiorem quandam vim ad omnem orationem habere indicetur; id vero duplici modo fit, cum aut, quod praecedentibus contenditur, artioribus finibus circumscribitur („jedoch ganz und gar nicht"), aut praecedentibus annectitur, quod in ea re extremum vel minimum sit („und auch nicht," quod significatione proxime accedit ad „und nicht einmal"). Jam huius usus exempla recensebo, ita quidem, ut ubique quid libris munitum sit, respiciam. Nam, quod dici potuit, id etiam dictum esse a quibusque, per se non recte concluditur, nec tamen magis recte, quod rarum aut semel inveniatur, ubique tollendum esse. Primi igitur generis praeter locum Cic. ad Fam. VI, 6, 2, de quo iam supra disputavi, commemorandus est Suet. Tiber. 37: *Hostiles metus, nulla postea expeditione suscepta, per legatos compescuit, nec per eos quidem, nisi cunctanter et necessario,* ubi si cum Madvigio contra libros scribitur *ne* — *quidem*, asyndeton paene intolerabile exsistit, aptissime vero per *nec* adiicitur, quod praecedens membrum coartet hoc modo, si affirmative expresseris: per legatos compescuit, et per eos quidem cunctanter modo et necessario; praeterea Cic. in Verr. II, 20, 48: *de isto quidem id, quod omnes videbant, neque ille quidem obscure locutus est*, ubi *neque* — *quidem* maiore librorum fide munitum est. Alterius generis est Cic. Phil. III, 2, 3: *C. Caesar adolescens, paene potius puer, incredibili ac divina quadam mente atque fortuna tum, quom maxume furor arderet Antoni, quomque eius a Brundisio crudelis et pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec cogitantibus, nec optantibus quidem nobis, — quia non posse fieri videbatur — firmissumum exercitum ex invicto genere veteranorum militum comparavit,* ubi quamquam codex optimus atque antiquissimus Vaticanus *nec* — *quidem* tuetur, tamen Madvigius, id vitio et per praecedens duplex *nec* factum credens, *ne* — *quidem* rescribendum censuit. Recte hoc ad sententiam, sed non minus recte *nec* — *quidem*. Cum enim, etiamsi neque postulare neque cogitare auderent, tamen optare possent, hoc illis par ponendum quidem, sed tamen gravius ab iis separandum erat; quare Cicero huic membro adiecit *quidem*, unde hoc in ea re extremum et minimum esse intelligeretur. Eadem ratione defendendum puto, quod ap. Suet. Nero c. 10 legitur: *neque liberalitatis, neque clementiae, nec comitatis quidem exhibendae ullam occasionem omisit.* Apud Cic. d. N. D. III, 9, 23 etiam in melioribus libris scriptum est: *Nihil igitur affert pater iste Stoicorum, quare mundum ratione uti putemus, nec cur animantem quidem,* neque interna ulla est caussa, cur *nec* non ferendum, *ne* resti-

tuendum censeatur; nec magis damnandum est, quod Tac. Ann. XIV, 35, 2 cod. Medic. exhibet: *eo provectas Romanorum cupidines, ut non corpora, nec senectam quidem aut virginitatem impollutam relinquant.* Transeo ad Cic. Cat. mai. 9, 27: *Nec nunc quidem viris desidero adolescentis — is enim erat locus alter de vitiis senectutis — non plus quam adolescens tauri aut elephanti desiderabam*, ubi Madvigius, quamquam, ut ipse ait, *nec quidem* tantam, quantam nusquam alias, auctoritatem codicum habet, tamen cum Gernhardo *ne nunc quidem* probavit, sed saepius sese dubitasse dixit (p. 824 n. 3), an et *ne nunc quidem* et *nec nunc quidem* parum recte scriberetur; utrumcumque enim poneretur, videri vocem *nunc* ita notari, quasi hoc tempus alii contrarium esset, quod ante Cato commemoravisset, verum transire eum ad novam reprehensionem senectutis tollendam, ut sic potius dicendum videretur: *ne viris quidem;* sin autem intelligeretur, ut in illa scriptura deberemus: „nunc cum ad eam aetatem perveni, qua maxima est corporis infirmitas," nimis abrupte haec inferri, nec satis perspicue. At si tecum reputaveris, primam senectutis reprehensionem hanc fuisse, quod a rebus gerendis avocaret (vid. 5, 15), eoque omnem praecedentem disputationem Catonis spectasse, ut demonstraret, sese in senectute non desiderare negotia ac labores, intelliges, per *nec — desidero,* quamquam paulo liberius, quippe omissa tali prioris partis conclusione: ergo in senectute ego non desidero operosam vitam, tamen commode transiri ad alterum reprehensionis locum. Jam cum in sententia nihil vituperandum esse, nisi quod oratio abrupta nec satis perspicua coniunctionis ratio esset (satis perspicua autem est ei, qui quo praecedentia spectaverint, tenet), concesserit ipse Madvigius, quid dubitamus *nec* scribere, quo illud abruptum tollitur? Nec magis quam de hoc loco, dubitandum est de Cic. d. Div. I, 9, 16: *Non quaero, cur, quoniam quid eveniat, intelligo. Nec hoc quidem quaero, cur haec arbor una ter floreat, aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet,* ubi Orellius propter libros *nec* intactum reliquit, quamquam *ne* sibi magis placere significavit. His igitur locis, in quibus omnibus *nec* copulandi vim habet, id neque a sententia alienum, et a libris munitum est. Sed dicendum est de eorum sententia, qui in talibus *quidem* nihil aliud valere existimant, quam ut id vocabulum, cui appositum sit, efferat, cum *neque* nihil prorsus habere (vid. Haas. ad Reisig. n. 497 p. 590). Quae sententia confirmari videtur et loco Cat. mai., de quo supra dixi, et Cic. ad Att. IX, 13, 1, et iis, ubi *nec — quidem* praecedit, sequitur alterum *nec.* At in loco Epp. ad Att. facile apparet verba sic distinguenda esse: *Sed non erat nec recentior auctor, nec — huius rei quidem — melior Dolabella,* quod in reliquis nullo modo fieri potest. Facilius autem de ea re diiudicabitur, si qua ratione *et — quidem* dictum sit, recordati fuerimus. In qua coniunctione particulae *quidem* vim valere ad *et* efferendum, luce clarius est ex iis locis, ubi *et* ac *quidem* coniuncta sunt, qua de re satis est Madvigium l. s. c. testem appellasse. Unde apertum est, etiam de iis locis idem statuendum esse, ubi *quidem* ab *et* separatum est; nec vero difficile est ad intelligendum, cur semper id ipsum vocabulum, cuius in ea observatione, quae adiicitur, maximum momentum est, inter *et* ac *quidem* positum sit. Quid igitur mirum, etiam inter *nec* et *quidem* id semper collocatum esse, quod, quippe cum propter eam notionem maxime gravior illa separatio fiat, numero maxime efferendum est. Et si quis dicat mirum esse, quod numquam *nec quidem* inveniatur, monendum est, *et quidem* rarissimum esse, cum *nec* autem etiam rarius, quam cum *et* coniungi *quidem.* Ut denique de iis locis dicam, ubi praecedens *nec — quidem* sequitur alterum *nec,* primum tollendus est locus ad Herenn. IV, 46, 59, quoniam ibi

*neque — quidem* solus Graev. 3 exhibet, reliqui *quidem* omittunt. Tum non satis recte ab hominibus doctis de hoc loquendi genere iudicatum est. Manifestum scilicet est, quoniam per *nec — nec* alterum alteri par ponitur, si primo membro adiungatur *quidem*, eius vim non ad primum solum, sed etiam ad alterum pertinere; contra si praegresso *ne — quidem* adiiciatur *nec*, primum in ea re extremum atque summum vel maxime mirum dici, alterum, quod cum eo negative copulatur, minorem vim habere. Quae sententia eo confirmatur, quod Romani, si duo per *ne — quidem* efferenda essent, alterum aut per *atque* adiunxerunt (ut ap. Caes. B. G. VII, 47, 3: *neu — ne mulieribus quidem atque infantibus abstinerent*), aut per *aut* (ut ap. Tac. Ann. XIV, 35, 2, nisi cum cod. Med. *nec* scribitur). Igitur Liv. I, 3, 4: *Tantum tamen opes creverant, maxime fusis Etruscis, ut nec morte quidem Aeneae, nec deinde inter muliebrem tutelam rudimentumque primum puerilis regni movere aut Mezentius Etruscique aut ulli alii accolae ausi sint*, si scribitur *ne — quidem*, hoc dicitur: ut ne eo quidem tempore, quo maxima opportunitas erat, mortuo Aenea, arma movere ausi sint, nec, quod minus mirum, maxima illa opportunitate dimissa, postea; sin *nec — quidem*, utrumque maxime admirandum esse demonstratur hoc modo: ut neque morte Aeneae, neque inter muliebrem tutelam, quamquam utrumque maximam praebebat opportunitatem, arma movere ausi sint. Ap. eund. XXII, 60, 12: *nec viros quidem nec Romanos duceret, si nemo tantae virtutis exstitisset comes*, aperte hoc dicendum fuit: non duceret vos Romanos et ne viros quidem. Jam si scriptum esset *ne viros quidem*, hoc diceretur: ne viros quidem vos duceret, nec, quod inde per se intelligitur, Romanos; cum *nec — nec* scriptum sit, haec est sententia: non magis viros vos duceret, quam Romanos. Nec magis XL, 25, 6: *Summa vi totum diem oppugnarunt, ita ut nec efferendi quidem signa Romanis spatium, nec ad explicandam aciem locus esset*, probabitur *ne — quidem*, cum appareat, alterum non minorem vim quam primum habere. Si hostes minus acriter institissent, Romani portis quidem erumpere non potuissent, sed intra munitiones aciem explicandi locum habuissent. Ceterum satis, credo, luculentum est, ex his locis argumentum peti non posse, quo *quidem* cum *nec* nihil habere demonstretur. Jam postquam eos locos perlustravimus, ubi *nec — quidem* ita dictum est, ut *nec* copulandi vim habeat, dicendum est de eo harum particularum usu, ubi *nec* sine illa copulandi vi per se positum est. Cum igitur supra viderimus, particula *neque* etiam optimos scriptores sic usos esse, ut nostro „auch nicht" respondeat, scilicet cum omissum ante *neque* audiatur, quid tandem impedit, quo minus, accedente *quidem*, *nec* sic dici potuerit? Apertum autem est *nec quidem* ab simplici *nec* haud alio modo differre, quam quo *nec — nec* ab *nec — nec — quidem*; a *ne — quidem* quo modo diversum sit, vix satis perspicue demonstrari poterit, cum etiam in *ne — quidem*, ut verissime monuit Haasius ad Reisig. n. 417 p. 429, talis notio insit, quae in *nec — nec* dissolvi possit, neque ad sensum quidquam intersit inter „auch du nicht" et „nicht einmal du." Verum qui propter eam ipsam caussam, quod idem per *ne — quidem* exprimi possit, *nec — quidem* unquam dictum esse negat, omnem libertatem tollit, neque sermoni ullam verborum idem significantium copiam concedit. At sane omnibus fere locis, ubi *nec — quidem* invenitur, libri variant; sed si inde concluditur, *nec — quidem* nusquam recte scribi, quam facilis earum vocularum confusio fuerit, haud satis perpenditur. Quamquam illud concedendum est, cum *nec* pro *etiam non* dictum (utar docendi caussa his particulis) apud posteriores multo frequentius sit, quam apud antiquiores, etiam *nec quidem* apud hos iis tantum locis relinquendum esse, ubi antiquiores et praestantiores libri non dissentiant. Igi-

tur ex Ciceronis scriptis unus mihi locus innotuit pr. Arch. poët. 5. 10: ***hic qui nec utitur quidem illis, in quibus est scriptus, quod semper se Heracleensem esse voluit, reiicietur***, ubi plerique et optimi libri ***nec — quidem*** tuentur, Stürenburgius ***ne — quidem*** scripsit. Ap. Caesarem nullum equidem locum novi; apud Tacitum legitur Ann. IV, 35, 2 et Histor. I, 66, 1, sed hoc loco propter adiectum ***ac duces*** certe ***ne quidem*** praestat. Apud Quinctilianum X, 1, 33: ***Adde, quod M. Tullius nec Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles oratori putat***, et X, 7, 32: ***Ego autem nec scribendum quidem puto, quod non simus memoria persecuturi***, praestantissimi libri ***nec*** tuentur, neque ultimo loco quidquam tribuendum est Gernhardi observationi, facilius in enuntiationis principio reperiri ***nec — quidem***, quam ubi praecedat alia particula, ut illic ***autem***. Apud Suetonium quibus locis pauciores pluresve libri ***nec — quidem*** exhibeant, ipse Madvigius l. c. p. 825 n. 1 indicavit, et ex Seneca complures locos collegit Haas. ad Reis. n. 497. Ap. Salustium tres omnino loci in quaestionem vocandi sunt: J. 31, 3, ubi ***nec — quidem*** editorum libidini debetur, 56, 6: ubi ***nec — quidem*** in quinque tantum atque iis deterioribus libris (Eccard. Rem. 1. Sen. 2. Heuss. Guelf. 4) exstat, denique 51, 5: ***Sed ne Iugurtha quidem interea quietus erat***, ubi quamquam ***ne — quidem*** certe multo maiore librorum auctoritate munitum est, Kritzius tamen ***nec — quidem*** probavit, interpretatus: „auch Jugurtha nicht für sein Theil," quam sententiam satis refutatam puto iis, quae supra disputavi, ubi ***ne — quidem***, ibi etiam ***nec — quidem***, cum ab illo significatione non multum differat, locum habere. Falsus autem est vir doctissimus, ***ne — quidem*** improbans, quia non reputavit, ***ne — quidem*** ab Romanis haud raro ibi positum esse, ubi exspectatur ***neque*** („auch nicht"), de quo usu vid. Held. ad Caes. B. C. II, 33, 2; Dietrich. Quaest. gramm. et crit. p. 73; Madv. l. c. p. 816. Qui usus qua ratione explicandus est? Indicavi iam supra, ***ne — quidem*** talem notionem continere, quae in duas per ***nec — nec*** dissolvenda sit. ***Ne ego quidem affui*** est: neque alii affuerunt, neque ego, quem maxime affuturum esse sperari poterat. Per se autem apparet, in primo eius dissolutionis membro eos ponendos esse, qui negotii participes esse possint. Jam, ubi de duobus tantum dicitur, ut illic de Metello et Jugurtha, postquam de altero dictum est, scriptor ad alterum transiens ***ne — quidem*** recte utitur. Cum vero eadem ratio in ***nec — quidem*** cadat, etiam ei in talibus locum esse, negandum non est, quin a ratione etiam aptius videtur, quam ***ne — quidem***. Sed utrum scribendum sit, ubique ex librorum fide et auctoritate pendet.

C. 98, 6: ***Dein crebris ignibus factis plerumque noctis barbari suo more laetari, exsultare, strepere vocibus, et ipsi duces feroces, quia non fugere, pro victoribus agere.*** Plerique libri exhibent: ***quia non fugere ut pro***, vel: ***quia non fugere aut pro*** (sic praestantissimi b p), nonnulli codd. Pal. Leid. F. et N. Guelf. 10 et 11: ***quia non fugere atque pro***, Pal. 4. Guelf. 2. 3. Med. 11. Taurin.: ***quia non fugere, pro***, denique Par. c. a manu secunda: ***quia non fugerant, pro***. Jam ***fugere*** quo minus pro infinitivo historico habeamus, obstat, quod infinitivus historicus in membris relativis ac caussalibus, qui usus etiam apud Tacitum artioribus finibus circumclusus, a S. more prorsus alienus est, ut demonstravi ad huius ipsius cap. §. 2 (vid. etiam ad 100, 4). Cum igitur necessario perfectum putandum sit, id defendi poterit ex illo usu Romanorum, quem illustravi ad C. 17, 2 p. 62. Quare a ratione nihil obstat, quominus ***quia non fugere, pro victoribus agere*** scribatur. Sed maximam dubitationem movet, quod libri, qui id commendant, pauciores ac deteriores sunt, et in reliquis voculae quaedam inter ***fugere*** et ***pro*** interiectae, ex quibus aliud quid a S. scriptum esse, veri simile est. Igitur

Gerlachius scripsit: ***feroces quia non fugere, atque pro victoribus agere***, quod ferri nequit, quia, ut verissime monuit Kritzius, intolerabilis atque ab omni consuetudine aliena est in constructione infinitivorum historicorum verbi ***esse*** omissio. Nec tamen verum est, quod idem V. D. praecepit, enuntiatum caussale non cum ***feroces***, sed cum ***pro victoribus agere*** coniungendum esse. Nam neque intelligitur, cur h. l. commemoranda fuerit ingenii innata ferocia, quasi si minus feroces illi fuissent, non pro victoribus egissent, et ***ferox*** de iis, qui propter res felices ac prosperas magnos spiritus ducant, ab ipso S. dictum est J. 14, 21: ***nae ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque praeclarus est***, et 94, 4: ***secundis rebus feroces esse.*** Atque quid hac sententia aptius: ipsi duces, cum propterea, quia non fugerant, summa fiducia essent*), iam pro victoribus agebant. Sed ***atque*** nullo modo ferendum esse apparet. Ineptum esse non minus ***ut***, quam ***aut***, nemo non perspiciet. Sed unde eas voculas natas dicas! Possit quispiam sic statuere, ***ut***, ad explicandam praepositionem ***pro*** supra scriptum, falso in verba scriptoris illatum, indeque ab librariis, qui quam perversum id esset, intelligerent, ***aut*** vel ***atque*** factum esse; at multo veri similius est, eas voculas ex litteris a praecedente vocabulo male separatis factas esse. Quamobrem Cortius coniecit: ***quia non fugerent, pro***, quod Kritzius probavit, monens coniunctivum spectare ad significandam caussam in ducum cogitatione positam, imperfectum declarare, illam caussam nondum cessasse, sed etiam tum valuisse, coll. Liv. XXI, 9, 1: ***Cum diu anceps fuisset certamen et Saguntinis, quia praeter spem resisterent, crevissent animi, clamorem oppidani tollunt.*** Igitur secundum eam sententiam ***fugerent*** dictum esset pro: in fuga essent. At ***fugio*** neque apud alium pedestrem scriptorem, neque apud S. umquam aliud quidquam significat, nisi: loco cedo (cfr. J. 38, 5; 51, 4; 58, 2; 61, 4; 86, 5; 87, 2; 94, 5; 99, 2, 101, 11 bis). Unde apertum est, necessario dicendum fuisse: ***fugissent.*** Quae cum ita sint, ego scribendum censeo ***fugerant***, non tam propter cod. Par. c. auctoritatem, quam quia et sententiae id optime convenit — indicativum profecto nemo, qui S. morem loquendi cognoverit, vituperabit (vid. ad J. 38, 9 p. 279 sqq.) — et facile apparet, quo modo inde corruptelae illae nasci potuerint. Scilicet litteris ***aut*** a praecedente verbo separatis, quid mirum, librarios ***fugere aut*** vel ***fugere ut*** scripsisse?

C. 99, 1: ***Plurumum vero Marius imperitia hostium confirmatus quam maxumum silentium haberi iubet, ne signa quidem, uti per vigilias solebant, canere; deinde, ubi lux adventabat, defessis iam hostibus et paulo ante somno captis, de improviso vigiles, item cohortium, turmarum legionum tubicines simul omnis signa canere, milites clamorem tollere atque portis erumpere.*** Quamquam haec verba per se plana ac perspicua sunt, tamen satis larga in iis est dubitandi materia. Kritzius enim negavit, infinitivos ***canere, clamorem tollere, erumpere*** a verbo ***iubet*** pendere. Ad quod demonstrandum primum hoc argumento usus est, dici vix posse: ***iubeo ne signa quidem canere***, debuisse aut: ***etiam signa silere***, aut: ***ne signa quidem permittit canere.*** At qui secum reputaverit, Romanos in coniungendis orationis membris eo licentiae processisse, ut ex verbo negante pendeat, quod aiens requirit (vid. ad J. 106, 3), omnino autem zeugmatis plurima genera liberrime finxisse (vid. Krüger. Gr. L. §. 660 p. 903 sqq.), igitur non mirum esse, ab eodem verbo iubendi et quod imperatum, et quod vetitum esset, pendere,

*) In *ferocia* semper inest virium ac prosperi eventus nimia fiducia (vid. ad C. 11, 5 p. 43). Quare qui ferociores sunt, ad concedendum atque gratiam faciendam non proclives sunt, unde explicandus est locus 104, 2.

quique quanta licentia in talibus usus sit S., cognoverit, ei hoc argumento certe non persuadebitur, eoque minus, quod *iubeo ne signa quidem canere* per se offensioni non est, si quidem *iubeo* interdum vel cum negativo membro coniunctum est, ut ap. Caes. B. G. VIII, 52, 5: *quod ne fieret, consules amicique Pompei iusserunt*, quamquam ibi haud improbabiliter suspicati sunt: *intercesserunt*. Nolo enim commemorare Caes. B. C. III, 98, 1, quoniam ibi octo codd. pro *iussit* exhibent *commendavit*. (De constructione verbi *iubeo* cum *ne* vid. Flade Obss. p. 9.) Nec plus valet alterum, quo V. D. usus est, argumentum, collocationem verbi *iubet* in clausula primae enuntiationis positi talem esse, ut ad sequentia commode trahi non possit. Quid enim? Qui exstitisset numerus orationis, si S. *iubet* post *erumpere* aut etiam post *canere* posuisset? Num commode verbum tam longo intervallo a subiecto suo *Marius* separatum esset? Atque inauditumne est, verbum, a quo plura pendent, cum primo coniunctum esse? Sufficit ex ipso S. atque ipsius verbi *iubeo* haec exempla attulisse: J. 33, 3: *quamquam regi infesta plebes erat, et pars in vincula duci iubebat, pars ni socios sceleris sui aperiret, more maiorum de hoste supplicium sumi*, 54, 6: *puberes interfici iubet, alia omnia militum praedam esse*, 75, 3: *igitur omnia iumenta sarcinis levari iubet, nisi frumento dierum decem, ceterum utres modo et alia aquae idonea portari*, 91, 2: *Ibi — milites cibum capere et — paratos esse iubet, omnibus sarcinis abiectis aqua modo seque et iumenta onerare*. coll. 104, 1. Tertium denique argumentum, totius loci ingenium descriptionem potius aut narrationem, quam iussum prodere, eandemque rem testari etiam verbum *solebant*, fateor me non intelligere. Quid enim convenientius, quam quae a duce prudentissime instituta, ei ipsi tribui potius, quam a militibus facta narrari? Nonne, si verba *signa canere* non ab *iubeo* penderent, milites intermissa canendi consuetudine, flagitium militiae fecisse viderentur? Et *solebant* nonne docet potius, quod consuetum atque usu receptum esset, tum iussu consulis omissum esse? Cum igitur mihi *canere* a *iubet* pendere videatur, tamen illud probare nequeo, quod Gerlachius et Orellius ante *deinde* comma posuerunt, cum luce clarius verba *ubi lux adventabat* ostendant, de diversis temporibus dici, neque credibile sit, haec omnia Marium iam ante praecepisse, nec tum demum, cum tempus esset, iussisse. Simplicissimum autem videtur, ad haec verba ex praecedentibus *iubet* repeti. Quodsi quis requirat, ut altero membro de re facta, non iussa narretur, ei nemo, qui historicos veteres legerit, assentietur. Solebant enim illi, ubi quid iussum narrarunt, quoniam, nisi contrarium memoratur, id factum esse per se intelligitur, satis habere, quid iussum esset, exposuisse, non adiecta de imperati executione mentione.

C. 100, 1: *Dein Marius, uti coeperat, in hiberna; propter commeatum in oppidis maritumis agere decreverat*. Sic exhibent t p aliique plurimi codices, quamquam in p. *it*, in Palat. 6 *proficiscitur* supra lineam ascriptum est; sed in Martin. B. Publ. Reg. Laud. 1. Pal. 9. 10. 11. 12. Leid. A. C. D. F. G. H. J. K. L (l). N. Erl. Bas. 4. Misn. Berol. 1 exstat: *in hiberna proficiscitur, quae propter —*, in Pal. 7: *proficiscitur in hiberna*, in b Pembroch. Par. c. x. nonnullis Cortii: *in hiberna it*, in Mark. Γ: *it in hiberna*, atque pro *it* rursus alii libri *iter* modo ante, modo post *in hiberna* praebent. Cum igitur plurimi libri verbum omittant, tum discrepantiae, quae in reliquis sunt, satis certum documentum videntur, id ab librariis ad explendam orationem adiectum esse. *Quae* autem falsum esse inde cognoscitur, quod *hiberna agere* vix commode dici potest, non magis quam *castra agere;* nam ne de tempore hibernorum transigendo dictum putetur, reliqua obstant; contra rectissime *agere* absolute dicitur de

eo, qui alicubi versatur (cfr. 101, 6 et quae de verbo *agitare*, quod ap. S. multo frequentius est, observavi ad C. 2, 1 p. 5). Tum pro *proficiscitur* propter apposita *uti coeperat*, exspectatur potius *pergit*. Nam cum illud verbum proprie sit: ab aliquo loco exire (vid. Dähn. ad Nep. Con. 4, 4), quae significatio haud dubia est C. 27, 4; 32, 1; 44, 2; 45, 1; 46, 3; J. 22, 1; 29, 7; 32, 5; 35, 9; 36, 1; 39, 4; 43, 5; 70, 4; 75, 6; 79, 4; 86, 1 et 4; 87, 1; 103, 4; 104, 3; 107, 6, interdum quidem etiam de iis dicitur, qui in itinere sunt, ut C. 34, 2: *Massiliam in exsilium proficisci*, 48, 3: *quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant*; J. 97, 3: *Marium iam in hiberna proficiscentem — invadunt,* sed nusquam de pergendo ac continuando itinere. Quae cum ita sint, quis verbum illud a S. non scriptum esse non concedet? At negavit Kritzius, *eundi* vocabulum ab diligentioribus historicis unquam omissum esse. Cui lubens quidem concedo, Liv. XXVIII, 21, 1 non recte a Cortio allatum esse, quoniam verbi omissio librorum deteriorum vitio debetur, atque Plin. Ep. VI, 20 familiari quadam dicendi consuetudine excusari posse, quamquam in ea epistola minime negligenti genere scribendi Plinius usus est, sed loci Flor. III, 6, 12 et 10, 8, quamquam posterioris scriptoris sunt, tamen id dicendi genus ab Romanorum consuetudine atque ingenio non alienum fuisse demonstrant. Atque, si nullum omnino esset exemplum, tamen ellipsis illa neutiquam improbanda esset, cum Romanos saepius verba, quae facile audirentur, omisisse constet (vid. Krüg. Gr. Lat. §. 662 p. 907; Madv. Gr. §. 447 p. 397 sqq. et ad Cic. d. Fin. I. 3, 9 p. 21 sq.; cfr. 102, 12: *Ad ea Bocchus placide et benigne*), atque h. l. per talem ellipsin gravius simul et acrius oratio procedat. Nec verum est, quod Kritzius monuit, *proficisci* paene necessario requiri, quo lectorum animi iam ad itineris cogitationem adverterentur, quod quanta diligentia ac prudentia a Mario institutum esset, sequentibus exponeretur. Quid enim? Nonne etiam illo verbo omisso ad itineris cogitationem lectores advertuntur? Et quid dicendum est aliud, nisi quo Marius se post bene pugnatum proelium converterit? Quae cum ita sint, verba illa *proficiscitur*, *quae* delenda censeo. Quoniam autem in sequentibus Cortius ex paucis libris *ac* pro *atque* scripsit, quamquam scio esse, qui tales quisquilias contemnant, tamen in litteris nihil minutum atque etiam ex talibus, qua diligentia scriptor usus sit, cognosci ratus, quae de illarum formarum usu ap. S. observavi, quam potero brevissime exponam, quo ea, quae disputavit Hand. Turs. I. p. 454 sqq. aut confirmem aut expleam. Primum igitur nullus omnino ap. S. locus est, ubi *ac* ante vocalem, aut *h*, aut *j* in pluribus et melioribus libris exstet. Atque etiam ante consonas *atque* non minus frequens est, quam *ac*. Ante *m ac* legitur ter et vicies (C. 2, 3; 3, 2 et 5; 10, 1; 53, 4; J. 14, 3; 23, 2; 30, 2; 31, 1; 35, 4; 39, 1; 40, 2; 48, 3; 57, 4; 62, 1; 73, 3; 85, 10; 94, 4; 95, 3; 98, 1; 101, 11; 107, 3; Fr. 226, 15), *atque* sexies decies (C. 18, 4; 31, 7; 34, 1; 39, 1; 51, 1, 5, 9, 20; 53, 1 et 5; 54, 2; J. 39, 1; 51, 1; 63, 1; 68, 3; 79, 1); ante *d* sexies decies *ac* (C. 5, 4 et 8; 28, 1 bis et 4; J. 13, 4; 14, 19; 19, 3; 36, 2; 39, 2; 41, 1; 50, 4; 52, 5; 60, 5; 103, 3; Fr. 182, 2), *atque* quattuordecies (C. 4, 1; 20, 7 et 10; 31, 3; 36, 4; 43, 3; 51, 9; 53, 5; J. 31, 19; 41, 6; 66, 2; 87, 2; 95, 3; 100, 5); ante *p* octies et vicies *ac* (C. 5, 9; 32, 1; 44, 2; J. 18, 3 et 11; 29, 5; 30, 4; 32, 5; 46, 4; 48, 2; 49, 6; 50, 3; 51, 1; 53, 1, 3, 7; 54, 3; 56, 3; 59, 3; 61, 4; 64, 4; 71, 4; 74, 1; 80, 2; 89, 2; 92, 4; 94, 5 et 6), sexies et tricies *atque* (C. 4, 1 et 4; 16, 2; 20, 3; 25, 3; 30, 2 et 5; 31, 8; 33, 1; 37, 5 et 7; 38, 1; 51, 4; 52, 2; 58, 8 bis; 60, 7; J. 7, 2; 14, 21 et 25; 31, 20; 35, 8; 38, 8; 89, 3; 69, 2; 94, 1; 97, 2; 99, 1; 105, 2; 107, 2; 112, 3; Fr. 182, 19; 185, 20 s. or. Lep. 1; 227,

25); ante *f* *ac* quater (C. 5, 9; J. 36, 3; 106, 3 et 6); *atque* octies decies (C. 1, 4; 2, 9; 11, 2; 14, 1; 23, 1; 25, 2; 33, 1 et 4; 51, 22; 52, 3 et 13; 59, 5; J. 23, 1; 45, 2; 55, 7; 58, 3; 84, 1; Fr. 193, 5 s. or. Phil. 10); ante *n* *ac* novies (C. 33, 2; J. 1, 5; 4, 8; 15, 1; 27, 2; 42, 1; 56, 5; 75, 2; 109, 3), *atque* quater (C. 2. 2 bis; J. 8, 1; 38, 5); ante *s* quinquies et vicies *ac* (C. 37, 8; 48, 2; 53, 5; 57, 3; J. 7, 5; 27, 1; 36, 1; 45, 2; 46, 6; 48, 1; 55, 8; 58, 5; 60, 4; 62, 3; 66, 3; 85, 16; 94, 2; 100, 5; 101, 11; 102, 7; 106, 4; 107, 6; 109, 4; 113, 3 et 6), *atque* vicies (C. 2, 5 et 8; 6, 1; 13, 5; 23, 7; 33, 5; 37, 3 et 10; 47, 2; 50, 1; 51, 16 et 42; 52, 15; J. 14, 11; 22, 3; 31, 3; 41, 3; 49, 5; 80, 8; 96, 2), ante *v* *ac* ter (C. 42, 2; 45, 4; Fr. 203, 9), *atque* octies (C. 1, 1; 12, 3; 52, 16; J. 5, 2; 75, 2; 89, 4 bis; 101, 11), ante *l* *ac* quater (C. 47, 2; J. 103, 5; Fr. 193, 10 et 11 s. or. Phil. 10 et 11), *atque* bis et vicies (C. 14, 3; 21, 2; 28, 4; 31, 1; 32, 2; 39, 4; 46, 2; 48, 1; 50, 2, 51, 9; 58, 21; J. 3, 4; 5, 5; 8, 2; 25, 6; 39, 5: 50, 2; 57, 2; 62, 1; 95, 3; Fr. 193, 13 s. or. Phil. 11; 233, 6 s. Ep. Mithr. 15), ante *t* septies *ac* (J. 25, 11; 33, 2; 34, 1; 46, 1; 97, 5; 102, 14; Fr. 218, 28), *atque* duodecies (C. 42, 2; 50, 3; 51, 10 et 38; 53, 2; 55, 4; J. 35, 5; 62, 2; 85, 36; 105, 4; Fr. 183, 10; 218, 5), ante *b* utrumque semel (C. 56, 2 et J. 88, 6), contra numquam *atque* ante *r* (C. 60, 5; J. 7, 3), *ac* numquam ante *c* (C. 2, 3; 7, 4; 16, 3; 26, 4; 29, 3; 33, 1; 37, 6; 39, 4; 51, 14; 52, 20 et 36: 57, 5; 58, 9; 59, 1; J. 14, 7; 48, 4; 51, 1; 92, 1, 3, 5; Fr. 195, 1 s. or. Phil. 20 *) et *g* (C. 91, 9; J. 4, 6; 97, 4; 99, 2). Sed si diligenter locos illos perlustraveris, videbis, *ac* fere semper minorem, quam *atque* vim habere. Quare *ac* frequentissimum est in talibus formulis, quibus ad novam rem transitur, *ac paulo*, *ac post paulo*, *ac deinde*, *ac maxume*, *ac saepe*, *ac statim*, *ac fuere*; *atque* semper scriptum est, ubi aut comparationi inservit (ubi praecedit *alius*), aut contrariae notiones coniunguntur, aut exprimitur, quod nos dicimus „und auch, und ausserdem," ad hoc in obtestationibus; neque omittendum est, in orationibus *atque* multo frequentius esse, quam *ac*.

Eiusd. cap. §. 4: *vigilias ipse circumire, non tam diffidentia futurum, quae imperavisset, quam uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus esset.* Cortius *tam* eiecit fide librorum Sen. 1. Guelf. 1. 2. Leid. E. H. J. K. L (sed de eo libro Gerlachius in ed. min. nihil annotavit); Kritzius vero *non — quam* Latinum esse negavit. De qua re ut diiudicari queat, duo quaerenda sunt, primum num a ratione quid obstet, deinde, num Romani eo loquendi genere usi sint. Ac sane errarunt, qui *non — quam* idem esse atque *non — sed* contenderunt. Quorum sententia neutiquam eo munitur, quod Romani interdum negligenter post *non tam* pro *quam* scripserunt *sed*, ut Cic. d. Fin. I, 1. 1: *Quidam autem non tam id reprehendunt, si remissius agatur, sed tantum studium tamque multam operam ponendam in eo non arbitrantur.* In talibus enim ab instituta orationis forma per negligentiam quandam deflectitur *quam* vero, quoniam relativum est, dici non potest, nisi ut respondeat aut audiatur respondens *tam*; igitur si *non — quam* idem esset, ac *non — sed*, id explicandum esset per anacoluthiam ut scriptor, se ante *tam* aut certe talem notionem, ad quam *quam* referri posset, posuisse opinatus, ad eam opinionem orationem conformasset. Nec minus errarunt, qui *non quam* idem esse censuerunt, ac *non tam — quam*. Absurdum enim est negationem ad aliquid referri

---

*) Etiam ap. Caes. unum modo exstat *ac* ante *c* positi certum exemplum, B. C. III. 78; vid. Held. ad B. C. I, 48, 4.

quod audiatur, nec cum dicitur: *illum non facio, quanti te*, id est non: illum facio non tanti, quanti te, sed: quanti te facio, tanti illum non facio. Unde simul apparet, quid *non — quam* significet, quoque modo ab *non tam — quam* differat. Cum particulae *tam — quam* duo gradu prorsus pari esse significent (utar his verbis docendi caussa), si priori praeponitur *non*, aequabilitas tollitur, non primum esse negatur, sed eodem modo esse, quo alterum. At si *quam* praecedenti *non* respondet, apparet *tam* ad id, quod negatum est audiendum esse, atque eodem modo quo alterum non sit, alterum esse contendi*). Ergo *non tam — quam* est: „nicht sowohl — als," *non — quam:* „so sehr nicht — wie," sive „wie wenig — so sehr." Videamus iam singulos locos. Justin. XII, 8, 14: *Tandem orare* (milites Alexandrum), *ut reliquias saltem suas paternis sepulcris reddat, quorum non studiis deficiatur, quam annis*, scriptura codicum consensu munita est (vid. Dübneri ann.). Et quid? Si *non tam studiis* scribitur, nonne milites etiam animis, quamvis non tantum, ab rege se defecisse dicunt? Quod quam indignum! At contra quam decorum, cum aeque annis se infirmos, atque studiis in illum proclives se esse affirmant. Liv. XXV, 15, 9: *Atinius Thuriis cum modico praesidio praeerat. Quem facile elici ad certamen temere ineundum rebantur posse, non militum, quos perpaucos habebat, fiducia, quam iuventutis Thurinae; eam ex industria centuriaverat armaveratque ad tales casus*, multi quidem codices et editiones ante Gronovium exhibent *non tam*, per se non falso, sed nonne hoc aptius dicitur, Atinium militum fiducia numquam proelium initurum fuisse, sed cum Thurinam iuventutem haberet, eum proelium tam fidenter ausurum, quam dubitanter, si milites solos haberet. Liv. II, 56, 9: (Laetorius) *Quandoquidem non facile loquor, inquit, Quirites, quam quod locutus sum praesto, crastino die adeste*, Kritzius ex duobus Hearnii codicibus *non tam* scribi iubet. At quam indignum viro forti ac gravi, etiam interdum facile loqui, contra quam dignum, nihil unquam loqui, nisi id etiam praestet, tantopere propositi tenacem esse, quantopere in promittendo non levem. Apud eundem XXVI, 18, 3: *Et Romae senatui populoque post receptam Capuam non Italiae iam maior, quam Hispaniae cura erat. Et exercitum augeri et imperatorem mitti placebat, nec tamen, quem mitterent, satis constabat, quam illud, ubi duo summi imperatores intra dies triginta cecidissent, qui in locum duorum succederet, extraordinaria cura deligendum esse*, Kritzius contra libros *nec tam* pro *nec tamen* scribendum esse censuit, ut iam ante eum ediderat Baumgarten-Crusius. At aptumne hoc est: minus quem ducem mitterent, quam extraordinaria cura deligendum esse constabat? Haene illae tantae angustiae? Scilicet qualis dux mittendus esset, ne uno quidem temporis momento dubitavere Romani, sed quam facile de ea re sibi persuaserant, tam difficile erat, idoneum virum invenire. Nonne igitur, mutato *tamen* in *tam*, oratio corrumpitur? Postremo eiusd. l. 31, 3: *sed non quid ego fecerim, in disquisitionem venit, quam quid isti pati debuerint*, complures quidem libri pro *quam* praebent *sed*; at nonne gravius Marcellus dicit, cum ut illud ante omnia quaerendum sit, quid illi pati debuerint, ita non quaerendum esse, quid ipse fecerit, affirmat. Ut iam ad Salustii locum revertar, ex his, quae modo disputavi, credo, apparebit, *non — quam* minime falsum esse. Etenim num indignum est duce, tam obedientem habere exercitum, ut quae imperasset, factum iri non diffidat? Nonne sic

*) Confirmat hanc sententiam Quinct. II, 5, 17: *atque utinam tam non pigeat facere istud, quam non displicebit.* Quid enim interest, utrum in altero membro negativum an affirmativum verbum ponatur?

Mario maxima tribuitur laus, cum non minore studio, quam de imperiorum suorum observatione diligentissima confidere poterat, id laboravisse dicitur, ut etiam volentes milites labores omnes exantlarent. Sed quoniam plerique atque optimi libri *non tam — quam* exhibent, neque id falsum est, quamvis *non — quam* maxime placeat, tamen illud mutandum non est. Quemadmodum vero de his particulis Kritzio assentiri non potui, ita quam is de sequentibus verbis proposuit sententiam lubentissime comprobo. Rectissime enim reiecit eorum sententiam, qui *futuri*, *quae*, quod longe plurimi libri exhibent, probari posse censuerunt. Nam neque pluralis *quae* ad singularem *futuri* referri potest — ad quod defendendum alienissimis exemplis usi sunt, quorum partem perlustravi ad C. 18, 1 p. 66 —, neque dici potest *diffidentia futuri*. Scilicet *spes regis adventuri* est: spes, quae in rege, iam adventuro, ponitur; sed ab hoc loco genitivus alienus, cum quid fuerit futurum dicendum sit, non in quo futuro spes posita sit. Unde simul intelligitur, ferri non posse neque *futurorum*, *quae* (Struv. Inc. Vrat. 3. Leid. B. N. Bas. 4. nonn. Pal. et p spl.), nec *futuri quod* (Vin. 1. Bern. 1. Berol. 1), sed necessario infinitivum requiri. Quare satisfaciet *futura quae* (Palat. nonnulli et Barb. 5), nec minus *futurum*, *quod* (Guelf. 3). Sed cum dubium non sit, tantas discrepantias nisi ex insolentissima scriptura nasci non potuisse, rectissime Kritzius probavit *futurum*, *quae*, quod in Guelf. 6 et 11 exstat, quodque iam ante eum commendaverat Fabrius. Constat scilicet ex Gellio N. A. I, 7, antiquiores Romanos *futurum*, *facturum*, *occisurum* simil. sic dixisse, ut numerus et genus prorsus neglecta essent (Cfr. Zumpt. ad Cic. Verr. V, 65, 167 p. 983). Quem obsoletum usum ab S. repetitum esse, eo minus mirandum, cum eum in extrema huius libri parte maiore licentia usum atque magis, quam antea, antiquiores scriptores imitatum esse, negari nequeat.

C. 102, 2: *legati a Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, duos quam fidissimos ad eum mitteret, velle de suo et de populi Romani commodo cum is disserere.* Cum solus b *de se* exhibeat et id quidem, supra lineam ascripto *de suo*, ac contra in Par. b et x *de se* intra versus sit, de scriptura satis videtur constare. At negarunt multi viri docti *de suo — commodo* recte dictum esse, scilicet arbitrati, inepte Bocchum, cum Marium ad legatos mittendos invitet, sui commodi ac prius quam populi Romani mentionem facere; nihil Marii referre, ut ad eum legatos mittat, qui suum commodum augere studeat. Quam dubitationem ut removeret, Kritzius: „Sed *suo*,“ inquit, „haud dubie ad Marium pertinet, cuius aeque magni atque populi Romani intererat, Bocchum a societate Iugurthae avocari, eaque caussa plurimum valebat, ut statim Bocchi postulatis satisfaceret.“ Sed ante omnia quaerendum, num per Latini sermonis leges id statuere liceat. Constat igitur, S. pronomine *suus* haud raro ita usum esse, ut non ad subiectum referatur, sed ad dativum (C. 2, 1: *sua cuique satis placebant;* 51, 11: *neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur;* J. 31, 8: *sed sane fuerit regni paratio, plebi sua restituere;* 86, 3: *cui neque sua cara, quippe quae nulla sunt, et omnia cum pretio honesta videntur*), aut ad obiectum (C. 21, 4: *admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae;* 28, 1: *constituere — introire ad Ciceronem ac de improviso domi suae confodere;* J. 6, 3: *Terrebat eum natura mortalium — praeterea opportunitas suae liberorumque aetatis;* 9, 2: *En habes virum dignum te atque avo suo Masinissa;* 54, 7: *quae negotia multo magis, quam proelium male pugnatum ab suis regem terrebant;* 70, 2: *hominem nobilem, clarum acceptumque suis*), aut ad aliam partem orationis (J. 73, 4: *ceterum in utroque magis studia partium, quam bona aut mala sua moderata*). Vix autem est, cur

repetamus, quod bene grammatici praeceperant, in plerisque his locis maiore vi esse *suus* („sein eigen"). Nec mirum est exemplum J. 3, 4: *nisi forte quem tenet inhonesta et perniciosa lubido potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari*, cum *suus* ad subiectum, ad quod *gratificari* spectat, referatur, multoque facilius ad intelligendum est, cur participiis *suus* ita adiiciatur, ut ad id, quod participii subiectum est, spectet (ut C. 40, 6: *deinde eos pollicitos operam suam domum dimittit;* J. 60, 6: *ita illis studio suorum astrictis;* coll. 32, 5 et 62, 1). Sed in oratione obliqua *suus* refertur aut ad subiectum eius verbi, a quo oratio obliqua pendet (ne quis in eo genere negligentiorem fuisse Salustium contendat, omnes locos proferam: C. 8, 5; 21, 3 et 5; 27, 4; 34, 2; 40, 3; 49, 4; 56, 5; 59, 5; J. 6, 2; 13, 3; 14, 14; 16, 3; 22, 3; 23, 2; 25, 6; 35, 8; 39, 3; 48, 1; 49, 2; 50, 1; 54, 5; 60, 4; 64, 4; 65, 3; 71, 4 et 5; 83, 1; 97, 2; 101, 6 et 13; 102, 13; 103, 7; 106, 3; 107, 4; 114, 2), aut ad id, quod in enuntiato pendente subiectum est (J. 15, 1; 20, 4; *) 21, 4; 56, 1; 61, 1; 62, 3; 82, 3; 83, 1; 89, 2; 108, 3; 112, 3). Nec mirum est, ut in oratione directa, ita etiam in obliqua *suus* ad dativum relatum esse (J. 71, 4: *fore ut illi senatus impunitatem et sua omnia concederet;* 64, 2: *debere illi res suas satis placere*). Cuius generis est etiam is locus, quo uti possis ad demonstrandum, *suus* in oratione obl. etiam ad eum referri, ad quem verba fiunt, 111, 1: *Denique regi patefecit, quod polliceatur, senatum et populum Romanum — non in gratiam habituros; faciundum aliquid, quod illorum magis, quam sua retulisse videatur.* Apertissimum enim est, *sua* referri ad dativum, qui ad *faciundum* audiendus est. Quamvis vero rectius scripsisset S. *ipsius*, tamen *sua* videtur maluisse, quo proprietatis notio magis efferretur. Sed certe is locus ab eo, de quo hic agimus, diversus est, cum ad *velle* audiendum sit subiectum *se*, ad Bocchum referendum, eoque magis *suo* ad eundem spectare necesse sit. At utetur Kritzius ad defendendam suam sententiam loco 70, 5: *litteras ad eum* (Nabdalsam) *per homines fidelis mittit* (Bomilcar), *in quis mollitiem socordiamque viri accusare, testari deos, per quos iuravisset, monere, ne praemia Metelli in pestem converteret, Iugurthae exitium adesse, ceterum suane an virtute Metelli periret, id modo agitari,* ubi *sua* ad solum Nabdalsam pertinere censuit, in eoque quamdam calliditatem Bomilcaris cerni, quod in illo uno omnia posita diceret. Sed neque vir doctus exemplum pronominis *suus* sic dicti attulit, et si tecum reputaveris, Bomilcarem exspectasse Nabdalsae adventum, ut coniuncti Iugurtham aggrederentur, utrumque cum Metello pactionem fecisse, profecto non callide, sed vere locutum Bomilcarem intelliges, cum dicat, id solum agi, utrum Metelli virtute, an sua (i. e. ipsius atque illius) periret. Nec magis J. 107, 3: *Ille* (Volux) *lacrumans orare, ne ea crederet, nihil dolo factum ac magis calliditate Iugurthae, cui videlicet speculanti iter suum cognitum esset,* obscurum est, *suum* ad Sullam et Volucem spectare, quod nisi comprobaveris ad solum Volucem referre debebis**). Cum igitur leges grammaticae ut *suo* ad Bocchum referatur cogant, quaerendum, num illa dubitatio, quae Kritzium commovit, ut talem sententiam diceret, tanti sit. Igitur cum quis de pace cum hoste agere cupit, nonne inde maiora sibi commoda proventura

---

*) Neque enim dubito, quin *iniurias suas* intelligendum sit: Adherbali illatas, non: ab Iugurtha illatas, quamquam *iniuria* interdum cum genitivo subiectivo iunctum esse observavi ad J. 65, 3 p. 411.

**) Scilicet Iugurtha, cum Volucem ex Bocchi castris profectum esse certior factus esset, quo tenderet, cognoscere cupiens, eum secutus esse putandus est.

esse, quam ex bello sperat? Nonne hosti simul commoda polliceri debet, quo eum ad pacem faciendam perpellat? Quid igitur impedit, quominus Bocchus, cum de communi negotio agatur (cfr. 105, 1: *petivit, ut Sullam ad se mitteret, cuius arbitratu de communibus negotiis consuleretur*; 108, 2: *quo res communis licentius gereretur*; 111, 1: *Ad ea Sulla pro se breviter et modice, de pace et de communibus rebus multis disseruit*), de suo et de populi Romani commodo dicat? At clamabunt, indecorum esse, eum suum commodum ante populi Romani commemorare. Scilicet nos id modestiae ducimus, ut nostram personam aliis omnibus, maximeque iis, quos honorare volumus, postponamus. At veteres eam modestiam non noverunt, sed id, quod cuique proximum esset, praeposuerunt (cfr., ut pauca proferam, C. 36, 4: *seque remque publicam*; 31, 3: *sibi patriaeque*; 31, 7: *cuius ipsius atque maiorum*; sed res pervagata est). —

Eiusd. cap. §. 8: *Atque hoc utinam a principio tibi placuisset! profecto ex populo Romano ad hoc tempus multo plura bona accepisses, quam mala perpessus esses.* Kritzius eique obsecutus Orellius ex solo cod. Misn. scripserunt *perpessus es*. Quae scriptura profecto optima est. Sed cum liber ille, quamquam nonnullis locis cum optimis consentit, tam multis negligentiae vitiis atque erroribus inquinatus sit, ut nihil fidei ei haberi possit, cumque reliqui omnes in *esses* consentiant — nam quod Pal. 4 *est* exhibet, non magis *es*, quam *esses* confirmat —, neque illud non mirum sit, librarios propter praecedens *accepisses* pro planissimo *es* scripsisse *esses*, nisi *perpessus esses* ineptum atque intolerabile esse demonstratur, quoniam eo, quod per libros traditum est, neglecto, verendum est, ne nostra pro alienis venditemus, utique intactum reliquendum est. Sed ineptum esse contendit Kritzius, si Sulla tali argumento ad movendum Bocchi animum uteretur: si nostram amicitiam secutus esses, bona quidem et mala, sed multo plura bona habuisses; dicendum potius esse: neque ea mala, quibus afflictus es, perpessus esses, et multo plura bona accepisses. At ineptumne est, si ei, cui aliquid commendamus, dicimus, ei multo plus commodi, quam mali inde proventurum esse, et cum demonstrare volumus, quam rectius id secutus acturus fuisset, id ei magis prosperum, minus calamitosum futurum fuisse affirmamus? Et nonne haec est rerum humanarum condicio, ut nihil umquam boni accipere possimus, nisi etiam mala cum eo coniuncta subeamus? Nonne Romani ab sociis atque amicis suis multa officia et labores postulabant? Bocchumne credis nescivisse, quod Adherbal 14, 12 coram senatu dicit: *Ego sic existumabam, patres conscripti, ut praedicantem audiveram patrem meum; qui vostram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere?* Quid igitur? Aperto mendacio — etenim qui verum celat, mentitur — Sulla sperare potuit, sese Bocchi animum conciliaturum? Deinde non negligenda est ea Romanorum consuetudo, qua cum alterum prae altero nihili habendum esse, significare volunt, comparativo utuntur. Quid vero est, cur, quod in *magis — quam* saepissime esse constat (vid. ad J. 35, 7 p. 264), in *plura — quam* inesse negemus? Quod si concesseris, num inepta est sententia talis: tam multa bona ex amicitia populi Romani accepisses, ut quae mala inde tibi evenissent, pro nihilo habenda essent, sive: plurima bona accepisses; mala perpauca ac paene nulla? Ad quae accedit, illud agendum esse Sullae, ut Bocchum ab societate Iugurthae dimoveat. Quo non dubium est spectare, quae §. 7 dicta sunt: *Tibi vero nulla opportunior nostra amicitia, primum, quod procul absumus, in quo offensae minimum, gratia par ac si prope adessemus.* Quibus verbis quis non sentit hoc dici: Tibi nostra amicitia opportunior, quam Iugurthae; ne

enim credas, cum eo, quod tibi propinquus sit, societatem tibi magis commodam esse, quam cum nobis, qui procul absumus, in vicinia facilius incidunt, quae amicitiam in inimicitiam convertant? Nec magis dubium est, etiam sequentia eo spectare, ut Boccho Iugurtha suspectus fiat. Scilicet illius intererat, quo Romano populo par esset, imperium suum augere, ab illo igitur magis metuendum, ne vicinos sibi subiicere conaretur. Idque iam diu ab Iugurtha timuisse Maurum testis est Plutarchus vit. Sull. c. 3: *ὁ δὲ Βόκχος ἐτύγχανε μὲν ἔτι γε πάλαι γαμβρὸν ὄντα μισῶν καὶ φοβούμενος τὸν Ἰουγούρθαν.* Etiam illa verba, de quibus quaerimus, Bocchum ad comparandam Romanorum amicitiam cum Iugurtha vocare putanda sunt, atque sic accipienda est sententia: Atque utinam tibi a principio placuisset, ut Romanorum amicitiam societati Iugurthae praeferres; profecto Romanus populus melior tibi socius fuisset, quam ille. Ab illo nihil praemii accepisti, neque sperare potes, ab hoc amplissima munera accepisses; cum illo omnes belli ac fugae calamitates pertulisti, cum hoc si societatem fecisses, profecto praemia tanta haberes, ut calamitates, quae inde proventura fuissent, multo superarent. Quae cum ita sint, sic ego censeo: Quamquam tantum abest, ut *perpessus es* falsum, ut optimum sit, tamen *perpessus esses*, quoniam neque a sententia alienum et tot testimoniis contra unum munitum est, retinendum esse.

C. 104, 1 et 2: *Marius postquam, confecto, quo intenderat, negotio, Cirtam redit, de adventu legatorum certior factus, illosque et Sullam ab Utica venire iubet, item L. Bellienum praetorem, praeterea omnis undique senatorii ordinis, quibuscum mandata Bocchi cognoscit. Legatis potestas eundi Romam fit ab consule; interea induciae postulabantur. Ea Sullae et plerisque placuere; pauci ferocius decernunt* rel. Scripsi haec verba, ut edidit Kritzius, sed complura insunt admodum difficilia, de quibus singulatim quaeram. Primum plerique libri exhibent *infecto*, sed aliquot Cortii, Leid. C. J. M. Par. A. C. D. Ven. 1. Vat. 1. Taur.: *confecto.* Profecto, cum aliunde de ea re nihil prorsus nobis cognitum sit, utrum S. scripserit, pro certo affirmari nequit, sed illud solum quaeri, utrum veri similius videatur. Igitur Fabrius *confecto* propterea verum iudicavit, quod sic demum participium, caussam significans, commode cum *redit* coniunctum esset; *infectum* enim *negotium* remoraturum potius fuisse Marii reditum, nec dubium esse, quin S., si *infecto* scripsisset, verbo *reverti* potius, quam *redire* usus esset, ut J. 58, 7: *Metellus infecto negotio, postquam nox aderat, in castra cum exercitu revortitur.* Ac primum quidem illud si sic dixisset vir doctissimus, veri simile non esse, Marium antequam negotium perfecisset, Cirtam rediisse, verum esset: a ratione certe nihil obstat, quo minus *infecto negotio* recte dictum sit. Quid enim? quam saepe ablativi absoluti cum negatione ibi dicti sunt, ubi nos „ohne zu" dicimus! Quod an ab hoc loco alienum est? Alterum prorsus falsum. Inter *revortor* enim et *redeo* idem discrimen est, atque inter *proficiscor* et *venio*. Illud initium redeandi significat, hoc ipsam actionem, illud reducis iter, hoc reducis adventum. Quare *revorti in aliquem locum* dici non potest de eo, qui iam in eum locum pervenit; semper ibi *redire* verbo utendum est. Neque illo loco, quo usus est ad demonstrandum Fabrius, *revortitur* aliud quidquam significat, nisi: proficiscitur rursus in castra („er wendet um nach dem Lager"), neque diversum est J. 8, 2: *postquam P. Scipio dimittere auxilia et ipse revorti domum decrevit.* Alia autem ratio perfecti est, quod, quoniam non solum, quod factum, sed etiam, quod inde consecutum est, significat, ibi recte scribitur, ubi de reditu dicendum est, ut plsqpf. C. 36, 11: *Id adeo malum multos post annos in civitatem revorterat.* Hoc igitur loco,

cum aperte dicendum sit: postquam Marius redux Cirtam advenit, sive *infecto* sive *confecto* probatur, verbo *revortitur* locus non est. Sed ut *confecto* veri similius videatur, efficitur primum Marii ingenio, qui profecto non is fuit, qui a conatu infecta re absisteret, tum Salustii diligentia, qui si Marius turrim illam expugnare non potuisset, certe de eius gloria detraxisset, nisi, quibus rebus inceptum omittere coactus esset, exposuisset, denique re ipsa, cum profecto, si Marius aliquid detrimenti accepisset, Ingurthae spes auctae, Bocchi animus rursus flexus esset. Deinde in optimis libris scriptum est: *confecto negotio, quo intenderat,* Kritzius ex Cortianis omnibus et nonnullis Italicis Gerlachii scripsit: *confecto, quo intenderat, negotio.* At ille ordo simplicitati, qua in scribendo S. semper usus est, magis quam alter convenit, neque verendum erat scriptori, ne quis *quo* ad *Cirtam* referret, quamquam satis multi fuere, qui sic statuerent, quasi Marius in itinere per hostes, aut alio periculo retentus fuisset, ut eum, quo decrevisset, eo etiam pervenisse dicendum esset. Sed de ipsa vocula *quo* multum ab doctis dubitatum est, non quo de scriptura non constaret — pauci admodum sunt, qui *quod* exhibent —, sed quia non habebant, quo modo explicarent. Kritzius autem *quo* per attractionem dictum putat pro: *quod intenderat.* De ea attractione postquam disputaverunt Heindorf. ad Horat. Sat. I, 6, 15, Walch. Emend. Liv. p. 80 sq., Krüger. de Attract. p. 259 sqq., nuper Madvig. ad Cic. d. Fin. I, 8, 29 p. 62 sq. docuit, eius fines latius patere, quam illis visum erat,*) nec mirum esse, quod nisi in brevissima sententiae forma non inveniretur, sed eius occasionem, omisso demum infinitivo verbi, quod casum definiret, datam esse; quare non mutandum esse, quod apud Cic. ad Fam. V, 14, 2 legeretur: *quom aliquid agas eorum, quorum consuesti;* in verbis autem sentiendi et declarandi eum usum ita valuisse, ut non certus infinitivus omissus esset; notissimum enim illud Horatianum: *iudice, quo nosti, populo*, non esse: cuius naturam nosti, sed, quem indicem esse nosti. Falso vero Kritzius, *confecto negotio, quod intenderat* dici posse statuit. Nam verbum *intendere*, cum proprie sit, quod nos dicimus „anspannen", coniungitur quidem cum accusativis eorum vocabulorum, quae studium et curam significant (*animum, curam, cogitationem intendere*, al.), et eorum, quae actionem indicant, ita quidem, ut, quo aliquid dirigatur, aut rem maturari, notetur (*consilium intendere* ap. Ter. Andr. IV, 3, 18 recte Donatus a venatoribus, retia tendentibus, translatum esse indicavit, eodemque modo explicanda sunt: *fallacia intendenda est seni* Ter. Heautont. III. 2, 2, ac reliqua omnia, quae commemoravit Freundius Lex. s. v. G.; in *iter intendere* ap. Liv. XXXI; 33, maturandi vim habere ac dirigendi nemo non sentit; vid., quae ad J. 25, 10 p. 194 monui), nec mirum est, quoniam si *intendere* simpliciter dicitur, quid intendatur, facile auditur (vid. quae contra Kritzium monui ad J. 74, 1), id verbum pariter ac *contendo* absolute dictum esse de iis, qui studerent et ad aliquid niterentur, eaque significatione eadem ratione, qua verba *studeo, nitor,* cum infinitivo coniunctum esse (J. 92, 6: *Quem locum Marius — summa vi capere intendit*), sed *intendo hoc negotium* pro: studeo hoc negotium conficere, neque dictum est umquam neque dici potuit, non magis quam *nitor hanc rem.* Quare J. 25, 10: *Quod ibi secus procedit, neque, quod intenderat, efficere potest, quod* ab infinitivo *efficere* ex sequentibus assumendo pendere putandum est, quamquam neutra pronomimum liberiore modo cum verbis transitivam vim non habentibus coniungi constat, de qua re

*) Krügerus scilicet id genus tantum concessit, ubi ablativus pro accusativo poneretur.

monui ad J. 96, 2. Quodsi Kritzius *confecto negotio, quo intenderat* per attractionem pro: negotio, quod conficere intenderat, dictum esse contendisset, ea sententia neque iis, quae de attractione praecepta sunt, neque verbi *intendere* significationi atque usui repugnaret. At cum in eo verbo insit dirigendi notio ac propterea saepissime cum adverbiis loci et praepositionibus coniunctum sit (J. 20, 1: *in regnum Adherbalis animum intendit*, 43, 2: *ad bellum animum intendit*, 74, 1: *quocunque intenderat, res advorsae erant*, 102, 1: *quo initio profectus intenderat*, et alia significatione 64, 1: *haruspicis dicta eodem intendere, quo cupido animi hortabatur*), nonne simplicissimum videtur, *quo* pro adverbio loci haberi, praesertim cum Salustium non minus saepe, quam alios scriptores, adverbiis loci ibi usum esse constet, ubi accuratior rei definitio per praepositionem et pronomen exspectatur, qua de re dixi ad C. 3, 3 p. 12? Transeo iam ad tertiam difficultatem, quae in urbium nominibus inest. Nam codd. Castilion., duo Popmae, Palatt. omnes praeter 8., Arond. Reg. Vin. 1. 2. Struv. Franc. Acad. Berg. Fabr. 2. Guelf. 4. 6. 9. 10. 11. 12. Leid. K. Erl. Bas. 4. tr. Bern. 3. Misn. Görl., multi Italici exhibent: *illosque et Sullam ab Utica venire iubet*; sed Sen. 2. Heuss. Vrat. 1. 2. Berol. 1. 2: *ad Uticam*, Rem. 1. 2. Sen. 1. Fabr. 1: *ab Tucca*, reliqui libri, si quid ex silentio concludi licet, omnes hoc loco nomine urbis carent. Contra infra in permultis libris scriptum est: *item C. Bellienum praetorem Utica*, in Vrat. 1. Pal. 7: *Uticae*, in Pal. 7. Inc. 1. 2. Franc.: *ab Utica*, in tr.: *de Utica*, nomen urbis abest ab Pal. 3. 5. 6, nonnullis Cortianis, Berol. 1. 2. Misn. Görl. Unde Kritzius satis certum ac luculentum putat, Salustium scripsisse: *illosque et Sullam ab Utica venire iubet, item C. Bellienum praetorem, praeterea omnis undique senatorii ordinis.* A quo iudicio vehementer ego quidem dissentio. Quam perversum sit *ad Uticam*, nemini, credo, obscurum est, cum ex ipso h. l., atque ex 102, 1 certissime constet, Marium Cirtae per hiemem domicilium suum habuisse, igitur eo consilium advocatum esse. Sed *ab Tucca* tantum abest, ut scripturam *ab Utica* confirmare mihi videatur, ut id solum verum iudicem. Primum enim nomen illud tale est, ut neque per confusionem litterarum ex *Utica* natum, neque librarii doctrinae atque ingenio debitum videatur. Deinde, cum Marius domicilium in urbe Cirta habuerit, ab ea reliqua Romanorum hiberna haud ita longe abfuisse veri simillimum est. At quanto ab ea (fuit, quae nunc Constantine nominatur; vid. ann. m. ad J. 21, 2 p. 178*) distat Utica, quam haud procul a Carthagine sitam fuisse docui ad J. 63, 1 p. 396! An igitur credibile est, ab Mario, duce perito ac prudente, copias tam longe dispersas fuisse? Num Sullam pro praetore in hibernis reliquisset, in expeditionem proficiscens, si is ibi versaretur, quo, si hostes hiberna invasissent, ne nuntius quidem brevi pervenire posset? Narravit supra 103, 4 S., Mauros legatos ad Sullam profugisse. An credibile est, eum sic dicturum fuisse, si illi, postquam ad extremas Romanorum stationes pervenerunt, per tam longum spatium ad eum deducti essent? At in vicinia Cirtae duo fuerunt oppida, Tuccae nomine, de quorum situ non satis distincte dixit Mannert. Geogr. T. X, 2 p. 317 sq. et p. 309. Alterum ad mare in fluminis Ampsagae capite situm fuisse tradit Plin. Hist. N. V, 2, 21 (*oppidum Tucca impositum mari et flumini Ampsagae*), alterum Itineraria et Tabula Peutingeriana docent ad eundem fluvium, sed longius a mari conditum fuisse, atque additum est in Tabula: *Fines Africae*

*) Ne eius urbis situm repugnare iis dicas, quae 100, 1 scripta sunt: *in oppidis maritumis agere decreverat*, recordandum est, ipsum S. eam urbem 21, 2 haud longe a mari sitam fuisse narrasse.

*et Maurctaniae.* Quae duo oppida num per omnia tempora exstiterint, an altero deleto alterum conditum sit (Plinius enim illud longius a mari situm non commemorat, Itineraria, quod ad maris littus fuit, ignorant), id quaerere cum difficile est, tum alienum ab h. l., siquidem satis est scire, in Cirtae vicinia oppidum *Tuccam* fuisse*). Quid igitur, non dico veri similius, sed luculentius, *ab Tucca*, quamvis paucissimi libri exhibeant, ab S. scriptum esse, praesertim cum facile appareat, unde illud *ab Utica* natum? Scilicet post *L. Bellienum praetorem* permulti libri addunt *Utica* idque confirmant etiam ii, in quibus *Uticae*, *ab Utica*, *de Utica* scribitur. Qui omittunt, admodum pauci sunt. Iam in exercitu Marii qui praetor fuit? Apertum est, eum provinciae Africae praefuisse, cuius capitalis Utica fuit (vid. l. s. c.**). Nonne igitur illud retinendum, quod plerique libri exhibent? Et quis est, qui dubitet, hoc nomen caussam fuisse, cur *ab Tucca* in tot libris in *Utica* commutatum sit? Quae si vere a me disputata sunt, — ne quid alienae laudis ad me traxisse videar, moneo Orellium eodem modo iudicasse, quamquam ille caussas non exposuit — confirmatur eo, quod ad 57, 1 p. 373 monui, nihil differre, utrum nominibus urbium praepositio *ab* adiungatur, an ablativus casus ponatur. Sed etiam maior dubitandi materia in sequentibus verbis inest. Plerique enim libri exhibent: *cognoscit in quibus* vel *in quis legatis potestas eundi Romam fit ab c.* rel., Erl.: *a quis legatis* —, Ac.: *quibus potestas*, Par. b: *quibus mandatis legatis*, unus Fabr. 1, ut Glareanus ex coniectura scripserat: *cognoscit. Legatis potestas eundi Romam fit ab consule, interea induciae postulabantur.* De qua discrepantia ut recte diiudicetur, necesse est, quaeri, quid his verbis dicendum sit, utrum, quod a legatis petitum, an quod a Mario ex consilii decreto responsum, contineant. Igitur si quis, quod ab legatis postulatum esset, hic dicendum fuisse contendat propterea, quod nusquam, quae in mandatis Bocchi fuissent, enarratum esset, huic opponetur, et supra 103, 3: *Eos ad Marium ac deinde, si placeat, Romam legatos ire iubet; agendarum rerum et quocunque modo belli componendi licentiam ipsis permittit*, quid Bocchus voluerit, indicatum esse, atque semper ex responso satis apparere, quid postulatum sit. Quod quamquam concedere cogimur, tamen alia sunt, quae ut ita statuamus, suadere videantur. Primum enim, si his verbis dictum esset, quod legatis responsum, in sequentibus scribendum fuit: *placuerant.* Quod si quis ita removere studeat, ut dicat, scriptorem, quoniam ipse hoc ad illustrandam rem adiiceret, temporis rationem minus curasse, ac rem factam indicasse satis habuisse, quod cum in enuntiatis relativis saepius factum esset (vid. ann. meam ad C. 17, 2 p. 62; Wolf. ad Sueton. Caes. 84 p. 107; Walch. Emend. Liv. p. 72 sqq.; Dähn. ad Nep. Alc. 9, 2), nihil obstare, quominus etiam in iis fiat, quae quasi per parenthesin interponantur, is eo minus efficiet, quod tum non poterat sequi praesens historicum *decernunt*, quod luce clarius ostendit, hoc

*) In tabula, quae Francogallorum, nunc illas regiones obtinentium, cura edita est, utrumque oppidum ad fluvium el Kebbir s. el Kibbir qui est Ampsaga vetus, notatum est, et alterum quidem Tucca Finas appellatum. Ceterum, cum plura oppida eius nominis fuerint, ut *Tucca Terebinthina*, haud longe a Sicca Veneria (Mannert. l. c. p. 359), veri simile est, nomen illud in incolarum sermone communcat appellationem locorum vel habitaculorum certi generis fuisse.

**) Mario provincia Numidia data erat (74, 7; 82, 2), Africae non imperabat. Morem fuisse, ut, si de re graviore cum hoste agendum esset, imperatores consilium advocarent, atque ad id cunctos senatorii ordinis, qui in exercitu erant, adhiberent, pervagatum est (cfr. 62, 4). Etiam ex vicina provincia magistratus ac senatores advocatos esse, hic locus, quamquam alium non novi, satis certum documentum est. Quod confirmat etiam *undique*. Certe enim S., si Marius tantummodo, qui in exercitu erant, evocasset, ut 62, 4 *ex hibernis* addidisset. Ceterum res, de qua tunc agebatur, gravior erat, quam de qua Metellus (62, 4) consuluerat. Iugurtha sine ulla pactione sese in fidem tradidit, Bocchus condiciones quasdam obtinere cupiebat. Quare Marius videtur plures quam ille consuluisse.

enuntiatum, non ut quod antea omissum esset, adderetur, παρενθετικῶς adiectum esse, sed ad res, ut gestae erant, ordine enarrandas pertinere. Tum si nihil legatis concessum est praeter potestatem Romam eundi, rectene diligens scriptor postea dicere potuit: *impetratis omnibus*? Deinde utrum credibilius est, a consule victore inducias postulatas esse, an ab rege, duobus proeliis superato? Et si Marius hac condicione, ut interea induciae haberentur, legatis potestatem Romam eundi facere vellet, nonne debebat, antequam illi Romam irent, exspectare, donec induciarum fides data atque accepta esset? Quid futurum erat, si Bocchus inducias aspernaretur, et tamen legati iam Romam profecti essent? Sed statim legati tres Romam proficiscuntur, duo ad Bocchum redeunt, neque quidquam de accepta condicione memoratur. Sed quid plura? Planissimum est, Bocchi interfuisse, ut induciae agerentur, ne si iterum male pugnasset, graviores condiciones acciperet, Romanorum, quippe victorum ac debilitatis hostium copiis, retulisse potius, ut bellum continuaretur, cum Bocchus, quo plura amisisset, eo plura concessurus esset. Bocchi igitur certe erat, inducias postulare. Ad quae cum accedat, quod plerique libri *in quibus*, vel *in quis**) exhibent, vix quisquam dubitabit, quin haec verba, quid legati Bocchi petiverint, contineant. Cui sententiae minime obstat locus 103, 3; illic enim in universum, cuius rei caussa missi sint legati, indicatur, h. l. quae ad Marium mandata habuerint, exponitur. Nec falsa est praepositio *in*, cum non omnia mandata referantur, sed tantum, quae in iis petita sint (vid. ann. meam ad J. 70, 5). Sed si id conceditur, *fit* nullo modo tolerari potest. Quod cum intellexisset Sellingius Lectt. Sal. p. 34 sq., scribendum censuit: *in quibus legatis potestas eundi Romam sit et* (hoc sumptum ex tr., qui exhibet: *eundi* *fit* *fuit et a consule*) *ab consule interea induciae postulabantur.* Quae coniectura duabus de caussis ferri nequit; primum quod coniunctivus praes. *sit* ab impf. *postulabantur* suspensus praeceptis grammatices repugnat, deinde quod *interea***) ab S. semper in initio enuntiati collocatur (C. 27, 2; 28, 4; 48, 1; 56, 5; 60, 4; J. 38, 3; 40, 1; 41, 8; 46, 1; 52, 5, a quibus exemplis non diversa sunt, in quibus praecedit coniunctio, C. 26, 2: *neque interea* et J. 29, 4: *ceterum interea*), et ibi tantum post hominis nomen, ubi is cum graviore vi alii opponendus est (J. 11, 2, ubi quae reguli singuli fecerunt, opponuntur iis, quae una constituerant; 51, 5; 86, 2; 88, 1; 103, 1), ab hoc loco vero is ordo alienus est, quoniam ab eodem consule, a quo potestas Romam eundi, induciae postulabantur. Quae cum ita sint, iisdem scripturae vestigiis insistens, coniicio scribendum esse: *in quibus legatis potestas eundi Romam fieret ab consule, interea induciae postulabantur.* Constructio sic paulo contortior quidem est, sed minime talis, quae in scriptore brevitatis amantissimo offendere possit. Scilicet cum sic procedere deberet oratio, *in quibus, legatis potestas Romam eundi fieret ab consule, interea induciae agerentur, postulabatur* ita S. ab instituto deflexit, ut pro secundario enuntiato substantivum poneret, et ad id verbum, a quo utrumque penderet, referret, quod anacoluthiae genus minime apud veteres inauditum est.***) In sequentibus vero *placuere* hanc vim

*) Consueta haec variatio; sed monui ad C. 58, 16 p. 301, S. videri semper *in quis* scripsisse.

**) Recte hoc Kritzius explicavit: dum legati Romam irent indeque redirent. Est hoc quoque brevitatis Salustii, per adverbium significare, quae distinctius et magis perspicue per secundarium enuntiatum exprimerentur. Vid., quae de *ita* monui ad J. 20, 4 p. 180.

***) Quamquam aliud exemplum ap. S. non est, tamen in *postulo* cum coniunctivo simplici coniuncto nemo offendet, qui quae ad J. 28, 1 p. 201 contuli, legerit. Ceterum non mirum, librarios, cum in constructione insolentiore offendissent, *fieret* in *fit* mutasse, verae autem scripturae vestigium in tr. remansisse.

habet: ea probanda sive concedenda esse censuerunt. Quae vis proxima est ei, quae in verbo proprie inest, et constat saepius ita dictum esse, ut respondeat nostro „mit Etwas zufrieden sein, gutheissen", ut ap. Caes. B. C. III, 10, 5: *interea et rei publicae et ipsis placere debere, si uterque in concione statim iuravisset, se triduo proximo exercitum dimissurum.*

C. 107, 1. Cum Cortius et Gerlachius h. l. scripserint: *eadem aestumabat*, reliqui omnes *existumabat* retinuerint, quoniam de discrimine, quod inter duo illa verba intercedit, tum demum recte iudicari poterit, si singulorum scriptorum consuetudo accurate explorata fuerit, de S. usu h. l. ita disputabo, ut nullum omnino locum, nisi qui oculorum aciem effugerit, omittam. Igitur nunc quidem inter viros doctos plerosque convenit, *aestumare* esse: pretium alicuius rei constituere, *existumare:* de aliqua re iudicare (cfr. Kritz. et ann. meam ad C. 8, 2; Burmann. ad Phaedr. III, 4, 5; Görenz. et Otto ad Cic. d. Fin. III, 12, 16; Herzog. ad Caes. B. G. II, 17 extr.; Dähn. ad Nep. Cat. 1, 4). Quae sententia per diligentem locorum Salustianorum considerationem confirmatur. Propria enim verbi *aestumare* vis cognoscitur ex loco Fr. 212, 22 (or. Licin. 21): *quinis modiis libertatem omnium aestumavere,* et C. 10, 5: *amicitias ex re non ex commodo aestumare.* Nec dubitandum est de iis locis, ubi cum adverbio iunctum est, C. 2, 8: *eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo,**) cuius generis est etiam locus C. 8, 2: *Atheniensium res gestae, sicut ego aestumo, satis amplae magnificaeque fuere,* ubi plerique et optimi libri *aestumo* tuentur, neque in ea scriptura haesissent viri docti, si reputassent, hoc dici: quanti ego eas aestumo, sive, quae mihi earum amplitudo ac magnificentia videtur. Porro C. 58, 18: *Quom vos considero milites et quom facta vostra aestumo, magna me spes victoriae tenet*, cum octo tantum codd. ap. Cort. *existumo* exhibeant, *aestumo* eo magis probandum est, quod praecedentia *vos considero* demonstrant, hoc dicendum esse: quom quanta facta vestra sint, mecum exputo **). Per se autem apparet, si *aestumare* cum adiectivo, praedicati locum tenente, coniungatur, id ita tantum fieri posse, ut in adiectivo pretii quaedam significatio insit, igitur *carum hoc aestumo* non idem esse, ac *carum hoc puto*, sed: ita hoc aestumo, ut mihi carum videatur („ich schlage es als werthvoll an"). Quare non mutandum videtur J. 85, 41: *Quin ergo, quod carum aestumant, id semper faciant*, cum maior pars codicum *aestumant* tueatur, quamquam nonnullos id exhibere Kritzius dixit. Sententia est: quod ita aestumant, ut iis maximum pretium habere videatur. Neque aliter statuendum videtur de loco Fr. 185, 19 (or. Lep. 1): *ne quae ipsi nefanda aestumatis, ea parum credendo de aliis circumveniamini*, ubi, quamquam multum variant editiones, tamen nihil est, quod *existumatis* commendet, neque ad sententiam ineptum est: quae in nefandis habetis s. numeratis. Etiam minus offendendum est in Fr. 192, 1 (or. Phil. 5): *immo despecti et indigni habiti, praedae loco aestumantur*, ubi facile intelliges hanc esse sententiam: tam parum iis tribuitur, ut non tales videantur, quibus aliquid debeatur, sed praeda i. e. tales, qui iure belli in suam dicionem venerint („sie werden als Beute in Anschlag gebracht"). Contra aperte corruptum est Fr. 201, 18 ap. Serv. ad Virg. Aen. XII, 694: *Perpenna tam paucis profectus vera est aestumanda*, ubi audaciore emendatione mihi scribendum videtur: *via ex aestu arida.* His igitur locis *aestumare* libris confirma-

*) Vid. de eo usu Held. ad Caes. B. G. VII, 14, 5 et ad B. C. III, 26, 2, et quae ego monui de *facio* ad J. 85, 31. Cfr. Epp. ad Brut. I, 16 (Cic. ed. Or. T. I p. 675): *Valde care aestumas tot annos.*

**) Haud male nonnulli praeceperunt, *aestumare* esse: considerare; scilicet significat ipsam pretii constituendi actionem. Dictum autem esse non adiecto pretii vocabulo, ostendit notissima formula iudiciaria: *litem aestumare.*

tum est. Transeo ad *existumare*. Quod ab *aestumo* et *ex* factum, ut alia verba cum *ex* composita (*expendo, exputo, effingo, efficio*), significat ad finem perductam aestimationem indeque factum iudicium. Quam propriam significationem luculentissime demonstrat locus Fr. 231, 8 (Ep. Mithr. 3): *Atque ea, quae te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli et meae res parum prosperae, si vera existumare voles, maxume hortabuntur,* ubi quid aliud dicitur, nisi hoc: si quid verum sit, recte aestumando reperis („die Wahrheit durch richtige Schätzung herausfinden"). Unde fit, ut *existumo*, obscurata propria *aestumare* verbi significatione, omnino pro *iudicare, habere, putare, censere* dicatur, ita quidem, ut semper insit rei accurate expensae atque diligentis cogitationis adhibitae notio, qua vi est Fr. 188, 20 (or. Lep. 20): *quid existumetis de illo.* Nusquam apud S. cum pretii vocabulo coniunctum legitur. Sed construitur cum acc. dupl. C. 4, 4: *id facinus in primis ego memorabile existumo sceleris atque periculi novitate;* 22, 3: *Nonnulli ficta et haec et multa praeterea existumabant ab iis —;* 48, 5: *pars tametsi verum existumabant;* 52, 13: *falsa existumans ea, quae de inferis memorantur;* 56, 5: *simul alienum suis rationibus existumans, caussam civium cum servis fugitivis communicare* (ubi quinque tantum codices *aestumans* exhibent); J. 14, 1: *uti regni Numidiae tantummodo procurationem existumarem meam* (qui locus, quoniam sequitur acc. cum inf., sic explicari poterit, ut *esse* omissum statuas); 20, 5: *quod neque se parem armis existumabat;* 24, 5: *Utrum gravius existumet, nemini occultum est;* 31, 21: *tametsi viro flagitiosissumum existumo, impune iniuriam accepisse;* 36, 3: *fuere, qui tum Albinum haut ignarum consili regis existumarent;* 85, 15: *Quamquam ego naturam unam et communem omnium existumo;* Fr. 203, 25: *Superba illa, gravia, indigna Romano imperio existumantes,* quibus locis omnibus nihil variant libri. Tum coniungitur cum acc. et inf., cuius constructionis primum ea exempla commemorabo, ubi nulla in libris discrepantia est; C. 14, 7: *Scio fuisse nonnullos, qui ita existumarent, iuventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste amicitiam habuisse;* 40, 1: *existumans — facile eos ad tale consilium adduci posse;* 51, 43: *cum senatum existumare contra rem publicam et salutem omnium facturum**); J. 4, 4: *qui si reputaverint, — profecto existumabunt, me magis merito, quam ignavia iudicium animi mei mutavisse,* qui locus luculentissime docet, *existumare* esse: reputando invenire; 6, 2: *existumans, virtutem Jugurthae regno suo gloriae fore;* 10, 1: *existumans non minus me tibi, quam liberis, si genuissem, carum fore;* 14, 12: *ego sic existumabam, uti praedicantem audiveram patrem meum, qui vostram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, ceterum ex omnibus maxume tutos esse* (= sic mihi persuasum erat); 20, 4: *existumans, dolore permotum Adherbalem iniurias suas manu vindicaturum;* 29, 3: *existumans, sese aliquid interim Romae pretio aut gratia effecturum;* 30, 4: *decere existumavi, unam ex tam multis orationem perscribere;* 50, 1: *existumans, hostis — iter suum remoraturos;* 89, 2: *existumans Jugurtham ob suos tutandos in manum venturum.* Jam *aestumare* num eodem modo dici potest? Primum nullum omnino apud alium scriptorem exstat certum eius constructionis exemplum. Tum, quoniam usus ita valuit, ut *aestumo* tantummodo de pretio constituendo diceretur, *existumo* de iudicando, ratio obstare videtur, quominus *aestumo, hoc ita esse,* pro: *iudico, hoc ita esse* dici possit. Ad quae cum

*) *Existumare* in his solemne fuisse, docuerunt Cortius ad h. l. et Brissonius de Form. II p. 195 sq. Unde apparet, quam simile sit verbo *censere.* Ceterum ne quis me eam ob caussam obiurget, parum refert, utrum in talibus acc. duplicem, an acc. c. inf., omisso *esse,* statuas.

accedat, nullum omnino esse locum apud S., ubi *aestumo* maiore librorum auctoritate munitum sit, si tantae illorum locorum multitudinis, ubi *existumo* c. acc. c. inf. coniunctum est, memineris, vix, credo, dubitabis, quin temere ii egerint, qui *aestumo* his locis retinuerunt: J. 4, 2: *ne per insolentiam quis existumet, memet studium meum laudando extollere*, ubi solus cod. b. *exstumet* exhibet, quod iniuria ab nonnullis pro siglo verbi *aestumet* haberi videtur (Kritz. ad J. 110, 5); C. 31, 7: *patres conscripti ne existumarent, sibi — perdita re publica opus esse*, ubi longe plurimi libri *existumarent* tuentur, multo pauciores, quamvis in iis nonnulli satis boni, *aestumarent;* C. 51, 15: *Equidem ego sic existumo, patres conscripti, omnis cruciatus minores esse*, ubi plerique omnes libri ac Priscian. XVI, 2, p. 645 Kr. muniunt, *aestumo* tantummodo ex Bas. 1 (b). 2. Guelf. 2. 5. notatum est; postremo C. 48, 7: *fuere, qui existumarent indicium illud a. P. Autronio machinatum*, ubi Gerlachius *aestumarent* scripsit, ac quamquam ei Kritzius opprobrio dederat, quod in priore editione de libris nihil annotasset, tamen etiam in posteriore tacere maluit. Cuius viri docti silentio eum quam parum tribuendum sit, ex aliis locis satis constet, quoniam *aestumarent* ab aliis tantummodo in Fabr. 1. 2. Guelf. 1. 2. 10. Vin. 1. Sen. exstare testatum est, nisi alia certiora edocebimur, *existumarent* librorum fide tutissimum putandum est. Transeo ad eos locos, ubi sequitur interrogatio indirecta. Igitur *aestumare* apud historicos cum tali enuntiato coniunctum esse, demonstrare quidam conati sunt prolatis his exemplis: Tac. Agr. 18, 8: *Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuisse, ne laureatis quidem gesta prosecutus est, sed ipsa dissimulatione famae auxit famam, aestimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset*, et Sueton. Aug. 57: *Pro quibus meritis, quantopere dilectus sit, facile est aestimare.* Sed primo loco scriptura dubia est, certe in nonnullis editionibus *existimantibus* invenitur, nec haec e posterioribus scriptoribus documento esse possunt, apud priores scriptores idem factum esse. Qui qua diligentia inter illa verba distinxerunt, *aestumare* cum interrogatione indi recta ne potuisse quidem coniungere videntur, nisi ubi de rei pretio aut magnitudine constituenda ageretur. Ap. S. tres omnino eius generis loci sunt. Ac Fr. 209, 1 (or. Cic. 1): *Si, Quirites, parum existumaretis, quid inter ius a maioribus relictum et hoc a Sulla paratum servitium interesset*, nulla in libris discrepantia est, nec J. 31, 19: *scilicet existumabitis, qualis illa pax aut deditio sit*, quamquam Rivii libri, Commel. Leid. C. M. N. *aestumabitis* exhibent, dubitabis plerorumque librorum scripturam probare, quoniam necessario dicendum est: reputando invehietis. Sed J. 85, 14: *nunc vos existumate, facta an dicta pluris sint*, contendas *aestumate* recte scribi, cum de perpendendo factorum pretio dicendum sit. Sed neque libri id confirmant, — paucissimi enim *aestimate* exhibent — neque inepta est sententia talis, quam verbo *existumate* exprimi recte monuit Cortius: Vobis iudicium permitto, utrum facta an dicta pluris facienda sint. Supersunt ii loci, ubi nullum obiectum adiectum. Cuius generis duo sunt ap. S. J. 110, 5: *Nam, ut ego existumo, regem armis, quam munificentia vinci minus flagitiosum*, ubi, ut Kritzio concedatur, eos libros, in quibus *extimo* scriptum est, *aestumo* confirmare, tamen utique maior pars librorum *existumo* tuetur. Atque, si *aestumo* scribitur, quae est S. consuetudo, hoc dicitur: „wie ich den Werth der Sache abschätze"; quod an praestat alteri, quo exprimitur: ut mihi quidem persuasum est? Postremo eo ipso loco, qui mihi ansam dedit haec disputandi, quis est, qui *aestumabat*, quod in paucis tantum libris inventum est, praeferat scripturae *existumabat*, qua id exprimitur, quod dicendum est: quamquam in eadem sententia erat. Nisi forte quis scriptoris usum ex certissimis librorum testimoniis non cognosci, sed insolentissima quaeque captanda censet.

